


ROMANORVM IMPERATORVM EFFIGIES

Elogijs, ex diuersis Scriptoribus, per THOMAM Treterū, S. MARIAE Transtyberim Canonicum collectis, Illustratae

Opera et Studio Io. Bap.ta de Cauallerijs æneis tabulis Incisæ.


ROMAE ANNO DOMINI MDLXXXXII.






SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, D. STEPHANO DEI GRATIA, POLONORVM REGI INVICTISSIMO

Magno Duci Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Principi Transsiluaniæ & cæt. Domino clementissimo.







VAE duo considerari maximè solent ab ijs, qui labores suos alijs dicare constituerunt, auctoritas nempè eius cui dicatur, & prompta gratificandi voluntas eius qui dicat; hæc eadem et ego mecum perpendens, tibi Serenissime Rex, librum hunc mittendum existimaui: qui vltra Regiæ dignitatis fastigium, uirtutibus proprijs, rerumq; præclarè gestarum magnitudine, eam nomini tuo auctoritatem comparasti, vt nulla sit orbis

Christianæ pars, quæ de te non magnifice sentiat, gloriæq; tuæ splendorem præ oculis non ferat. Recens est, atq. in cordibus hominum infixa, inuictæ fortitudinis tuæ memoria: dum non solum Poloni nominis, sed Catholicæ totius Orthodoxæq; Ecclesiæ hostem, Moschorum tyrannum, bello iustissimis de caussis suscepto, ita compescuisti; vt quo plura de eius potentia antea circumferebãtur, hoc post clades tot illa à te inflictas, fama illius vilescere cœperit; tui vero nominis celebritas, admirationem omnibus meritò induxerit. Militum tuorum robur, & in persequendo hoste, laborum perferendorum innata quædam cupiditas, omnium sermonibus celebratur; totius tamen belli feliciter confecti gloria, ad te vel maximè refertur, qui rei militaris peritia, vigilantia, tolerantia, animiq; fortitudine, talem exercitus ducem atq; verum Imperatorem, re ipsa te declarasti; vt maximis & fortissimis Heroibus iure optimo possis comparari. Accidit sane percommodè vt in hac quasi publica, de rebus à te præclarè gestis, omnium gratulatione, Romanorum Imperatorum effigies, æneis typis expressas in manibus haberem: inter quos principes cũ plurimi fuerint ijs dotibus cumulati,

mulati, quas in te nunc ſuſpicimus & admiramur, nulli magis propriè debitum munus hoc à me offerri potuit, quam tibi, STEPHANE REX *inuictiſſime: vt quorum in domando hoſte potentiſſimo, virtutem tanta cum laude imitatus es; eoſdem etiam tibi cum triumpho reuertenti quodammodo occurrere videas. Huc accedit, quòd qui vitas & elogia Imperatorum, ex varijs Scriptoribus ſuccinctè collecta, iconibus eorum appoſuit, Thomas Treterus Canonicus Sanctæ Mariæ Transtyberim, ſummus amicus meus, Polonus eſt, Maieſtati tuæ ſubiectus; qui labores ſuos, nulli mortalium rectius dicari poſſe iudicauit, quàm tibi Regi & Domino ſuo, quē non vulgari illo, & communi, quo ſubditi principes ſuos debent, ſed ſingulari quodam modo propter inſignes dotes, quibus te largitor omnium bonorum* Deus *affatim cumulauit, obſeruat, colit, & veneratur. Accipe igitur, Sereniſſime Rex, munus hoc, tua maieſtate (opinor) non indignum: & in homine tibi ignoto, animum gloriæ nominis tui ſtudioſiſſimum, ea benignitate complectare, qua ſoles eos, qui virtutum tuarum admiratione moti. hoc vnum contendunt, & elaborant, vt ſe tibi quàm commendatiſſimos redere*

dere possint. Seruet te Deus diutissimè incolumem: & consiliorum tuorum, quæ iuuandæ Reipub. Christianæ, propagandæq; Catholicæ religionis caussa, tanta cum alacritate suscipis, exitum prosperum & felicem largiatur. Romæ Anno Domini M. D. LXXXIII. IIII. Kal. Septembris: qua die, tu superioribus annis munitissimam arcem Polocensem, Moschorum Duci victor eripuisti.


Serenissimæ Maiestatis Tuæ,

Seruitor humillimus

Ioannes Baptista de Cauallerijs.

CAN-

CANDIDO LECTORI IOANNES BAPTISTA DE CAVALLERIIS S.





VM proximis superioribus annis, oblectationi tuæ, Lector amice, consulentes, Pontificū Romanorum imagines, ex antiquis monumētis depromptas, non pauro certè labore in publicum emisissemus; venit nobis in mentem, rem nos tibi nō ingratam facturos, si quod in Pontificibus perfectum erat, idem quoq; in euulgandis Imperatoribus Romanis prestaremus, vt vnius libelli inspecti delectatio, alterius quoque visendi desiderium facilius accenderet. Quamobrem omnes ingenij vires eò conuertimus, vt libellum eiusmodi, non minus delectationis quàm utilitatis adferētem quamprimùm ederemus. Etquamuis essent multa, quę conatus nostros, in operis huis progessu, valdè impediebant, vicit tamen hæc omnia commodi publici consideratio, vt nec labores, nec sumptus vllos, desugeremus in eo libro ad finem perducendo, qui prius à multis expeteretur, quàm etiā videri potuerit. Fuerunt plures ante me, qui Imperatorum

rum

rum icones in lucem itidem protulerunt. Eorum, quotquot ad manum habere potui, labores diligenter euolui: & vt opus tantò limatius prodiret, virorum in vestigandis antiquitatibus apprimè versatorum consilium adhibui, qui de genuinis vel adulterinis principum omnium imaginibus iudicium ferent. Excussa sunt omnia diligenter, & in eo maximè ad laboratum, vt ne ficta aliqua pro veris operi insererentur. Quorũ Imperatorum statuas in vrbe reperire nobis licuit, eorum effigies à peritis artificibus indè curauimus desumi. Maximam tamen earum partem, numismata antiqua vndequaque conquisita nobis suppeditauerunt. Si quæ porrò desiderabantur, eas ex libris iamantea æditis, qui præ cæteris peritorũ testimonio commendabantur deprompsimus: nihilq. eorũ prætermisimus: quæ ad operis totius dignitatẽ pertinere iudicauimus: quod vt tanto magnis animum tuum delectaret, Elogia quæ Thomas Treterus S. Mariæ Transtyberim Canonicus Polonus, ex vetustis recẽtioribusq. Scriptoribus bona fide collegit, singulis iconibus apposuimus: vt vno quasi aspectu, non minus faciem quàm mores cuiusq. Principis intueri possis. Quę res non solùm ad ea quę sunt notatu digna, memorię facilius commendanda, plurimùm conducit; sed etiam ad euoluenda Scriptorum monumenta, qui copiosè id ge

nus

nus historias persecuti sunt, ianuam quodam modo aperit. Accipe igitur, studiose lector, hilari vultu librum hunc, non tam volumine, quàm vtilitate magnũ: & labores hos nostros boni consule: qui tibi vel hoc potissimũ nomine chari esse debebunt, quòd profectus obleꝺationisq. tuæ caussa, à me & studiosè & libenter suscepti fuerunt. Benè vale.


Auctores ex quorum libris Elogia Imperatorum collecta sunt.

Cassidorus.
Eutropius.
Eusebius.
Cornelius Tacitus.
Suetonius:
L. *Florus.*
Fl. Vopiscus.
Blondus.
Ammianus Marcellinus.
P*aulus Orosius.*
Trebellius Pollio.
Pomponius L*ætus.*
Ioannes Baptista Egnatius.
Ioannes Nauclerus.
P*aulus Iouius.*
Martinus Cromerus Varmiensis Episcopus.
P*latina.*
Aeneas Syluius.
I*acobus de Strada.*
Hubertus Golez Virtzburgensis.
Carolus Sigonius.
Aeneas V*icus* P*armensis.*
Albertus K*rancz.*
Otho Frisigensis.
Martinus P*olonus.*
Marianus Scotus.



SERIES

SERIES
ROM. IMPERATORVM
eo ordine, quo sibi successerunt, collecta; cui numeri foliorum etiam respondent.



C. Iulius Cæsar 1
C. Octauianus Cæsar Aug.
Tiberius Nero Cæsar 3
C. Cæsar Caligula. 4
Tiberius Claudius Cesa. 5
Domitius Nero Cæsar. 6
Sergius Galba. 7
M. Syluius Otho 8
A. Vitellius 9
F. Vespasianus 10
T. Vespasianus. 11
Domitianus. 12
Nerua Cocceius. 13
Traianus Vlpius. 14
P. Aelius Hadrianus. 15
Antonius Pius. 16
L. Aurelius Verus. 17
M. Aurelius Antonius. 18
L. Aelius Aur. Commodus. 19
P. Heluius Pertinax. 20
Didius Iulianus. 21
C. Pescennius. 22
C. Albinus. 23
L. Septimius Seuerus. 24
M. Aur. Ant. Caracalla. 25
P. Septimius Geta. 26
M. Opilius Macrinus. 27
Diadumenus. 28
M. Ant. Bassianus Heliogabalus. 29
Alexander Seuerus. 30
Maximinus. 31
C. Iulius Verus Maximinus. 32
M. Ant. Gordianus. 33
M. Clodius Puppienus. 34
M. Cælius Balbinus. 35
M. Ant. Gordianus. 36
C. Valens Hostilianus 37
M. Iulius Philippus 38
M. Iulius Philipus Iunior II. 39
C. Mesius Q. Detius Traianus. 40
Q. Herennius Etruscus Mesius Decius. 41
C. Vibius Trebonianus Gallus. 43

C. Vibius

C. Vibius Volufianus. 43
Aemilianus. 44
P.Licinius Valerianus. 45
P.Licinius Galienus. 46
Saloninus Valerianus. 47
M.Caffius Latienus poft-humus. 48
F.Claudius 49
Quintilus. 50
Aurelianus. 51
M.Claudius Tacitus. 52
M.Annius Florianus. 53
Probus. 54
M.Aur.Carus. 55
M.Aur Rom.Numerianus. 56
Carinus. 57
Diocletianus. 58
Maximianus. 59
Conftantius Chlorus. 60
Galerius Maximinus. 61
Maximianus. 62
Seuerus. 63
Maxentius. 64
Licinius. 65
Martianus. 66
Conftantinus Magnus. 67
Iulius Crifpus. 68
Conftantinus Iunior. 69
Conftans. 70
Conftantius. 71
Magnentius. 72
Decentius. 73
Iulianus Apoftata. 74
Iouinianus. 75
Valentinianus. 76
Valens. 77
Gratianus. 78
Magnus Maximus. 79
Valentinianus Iunior. 80
Theodofius. 81
Archadius. 82
Honorius. 83
Theodofius Iunior. 84
Valentinianus. 85
F.Valerius Martianus. 86
Leo fenior &iunior. 87.88
Zeno. 89
Anaftafius. 90
Fl.Val.Iuftinus. 91
Iuftinianus Magnus. 92
Iuftinus Minor 93
Tib.Conftantinus. 94
Mauritius. 95
Phocas. 96
Heraclius. 97
Her.Cōft.iunior.&Heracleonas. 98.99.
Conftans, & Conftantinus. 100.101.
Juftinianus Minor. 102
Leontius. 103
Tib.Abfimarus. 104
Philipicus. 105
Anaftafins II. 106
Theodofius III. 107
Leo III.Flauius. 108
Coftantinus Copronynus. 109
Leo IIII. 110
Con-

Conſtantinus, & Hirenæ iij.	111	Federicus Barbarosa.	135
Carolus Magnus.	113	Henricus vj.	136
Ludouicus Pius.	114	Philippus.	137
Lotharius.	115	Otho IIII.	138
Ludouicus II. & Lotharius.	116. 117	Federicus ij.	139
Carolus II. Caluus.	118 119	Henricus.	140
Carolus III. Craſſus.	120	Rudolphus.	141
Arnulphus.	121	Adulphus.	142
Ludouicus IIII.	122	Albertus.	143
Conradus.	123	Henricus vij.	144
Henricus.	124	Fredericus.	145
Otho Magnus.	125	Ludouicus V.	146
Otho II.	126	Carolus iiij.	147
Otho III. Ruffus.	127	Venceslaus.	148
Henricus II.	128	Rupertus.	149
Corradus ij.	129	Sigiſmundus.	150
Henricus iij.	130	Albertus.	151
Henricus iiij.	131	Federicus iij.	152
Henricus V.	132	Maximilianus.	153
Lotharius.	133	Carolus v.	154
Corradus iiij.	134	Ferdinandus.	155
		Maximilianus ij.	156
		Rudolphus ij.	157






IO·BAPTISTAE DE
CAVALLERIIS

A

C. IVLIVS CAESAR Lucij F. vir maximis heroicis virtutibus cumulatus, cùm totam Galliam grauissimis prælijs vicisset, contra Germanos, Heluetios, Britannosq; generosissima bella confecisset, Pompeium Magnum Pharsalico prælio fudisset, bellis confectis quinquies triumphasset, & Consul per decennium, Dictatorque perpetuus designatus, ac Pater patriæ appellatus, singulare imperium populi Romani primus obtinuisset, ob idq. sibi maximam inuidiam mouisset, maturata, dudum in eum concepta, per sexaginta coniuratores conspiratione, C. Cassio, M. Bruto, & D. Bruto principibus, in Curia idib. Mart. viginti tribus vulneribus interfectus est, Anno ætatis suæ quinquagesimo sexto, Dictaturæ verò initæ, Anno tertio. Funus in campo Martio, maxima pompa celebratum; rogo iuxta Iuliæ tumulum extructo, luctu publico. summisq; honoribus, corpus combustum est. Princeps in cibo, & potu, insigni parsimonia, vini parcissimus, pronus tamen in libidines. Eloquentia militari excellentissimus, prudentię, & clementiæ laude, inter alia multa magni Principis officia longe clarissimus.



C. CÆSAR. DICT. PERPETVO.

OCTAVIANVS Cæsar Auguſtus, *ſororis* C. I *ulij Cæſaris nepos, patre Octauio, matre Actia Romæ natus, à Iulio Cæſare ex teſtamento in familiam adoptatus hæreſq; inſtitutus, vt necem auunculi vlciſceretur, quinque bella ciuilia geſſit, aduerſus Antonium Mutinenſe & Actiacum; contra Caſſium, & Brutum Philippenſe; contra L. Antonium M. fratrem, Peruſinum; aduerſus Pompeium Magni filium, Siculum & nauale; externa duo, Dalmaticum, & Cantabricum. Pace, terra, marique parta, Iano clauſo, Vrbem Romanam optimis inſtitutis, legibus, magnificentiſſimisque operibus ſic excoluit, vt meritò Parens Patriæ primus, & Auguſtus diceretur. Obijt Nolę, ventris profluuio laborans, Anno ętatis ſeptuageſimo ſexto, Imperij verò quinquageſimo ſexto: Cùm regnaſſet cum Aton. & Lepido Annos* 12. *ſolus Annos* 44. *Corpus maximis honoribus ad Vrbem delatum & poſtquam crematum fuit, reliquiæ in Mauſoleo ſibi inter Tyberinum amnem & viam Flaminiam extructo, impoſitæ. Princeps fuit ſummis animi corporiſque dotibus clarus, ad cuius felicitatem illud acceſſit quòd anno eius* Imperij 41. *ferè completo, &* 42. *ineunte, Rex Regum & Dominus dominantium Saluator noſter CHRISTVS IESVS principium recuperandę ſalutis humanæ, carnem aßumens dare voluit.* 8. *cal.* Ianuarij, *ex puriſsimis Mariæ Virginis ſanguinibus in Bethleem* Iudæ *natus: quo die mandauit Auguſtus, ne quis Dominum ſe vocaret, ſentiens verum orbis Principem natum fuiſſe. Dei enim cognomentum eſt.*

OCTAVIANVS CAESAR AVGVSTVS.



TYBERIVS NERO CAESAR Augusti priuignus, Tyberij Neronis, & Liuiæ Drusillæ filius assumpta virili toga, Magistratus ordines omnes adijt. Pro Augusto in Oriente preclara multa gessit. Tigranem Armeniæ Regem Regno restituit; signa à Parthis Crasso ablata recuperauit. Rheticum, Vindelicum, Pannonicum, Germanicum, Illyricumq; bellum feliciter confecit: ob quæ triumphauit, & ouans Vrbem ingressus, Liuiæ impulsu magis, quàm Augusti iudicio (quippè cuius mores, & ingenium non probasset vnquam) ab Augusto adoptatus & successor ascitus est. Eo mortuo primum se liberalem ac modestum gessit, in multis valdè popularem se se exhibens: biennio post adeptum Imperium, extra vrbem pedem non extulit; Postea verò Capreensi secessu omnem Reip. curam abijciens, Armeniam à Parthis occupari, Mœsiam à Dacis Sarmatisque, Galliam à Germanis vastari neglexit. Vitia malè dissimulata detexit. Portentosæ libidini, turpissimæque ebrietati, summam auaritiam; maximæ crudelitati incrediiblem adiecit rapacitatem, non minus in excellentes ingenio viros, quàm in propinquos, & necessarios suos sæuiens. Postremò in Astura propè Campaniam in languorem cùm incidisset, in Villa Lucculliana ætatis Annõ 78. Imperij verò 23. Caligulę nepotis astu obijt. Romam portatum corpus, publico funere crematum est. Huius Imperij Anno decimo octauo, Dominus noster IESVS CHRISTVS vt nos ab ęterna morte liberaret, ignominiosam Crucis mortem subire, & se puram Deo patri hostiam, pro redemptione humani generis, offerre dignatus est.




TI. CLAVDIVS. CÆSAR. AVG. P. M.
TR. P. IMP. P. P. 5

DOMITIVS NERO Cæsar, ex Cn. Domitio Nerone, & Agrippina Germanici filia, procreatus, 11. ætatis anno à Claudio adoptatus, Anneoq; Senecæ in disciplinam traditus, vbi 17. ætatis annum attigit, post mortem Claudij Imperator factus est. Primum quinquennium ita gessit, vt omnes Principes liberalitate, clementia, comitate, beneuolentia superaret. Ianum bis clausit: prauos mores emendauit: multas bonas leges tulit. Tandem Imperatoriæ dignitatis oblitus, musices, cytharizandi, & augurandi studio deditus, paulatim petulantiam, libidinem, luxuriam, auaritiam, crudelitatem detexit. Commeßationibus deditus: Pueris & nuptis abusus. Sporum Eunuchum ornamentis muliebribus excultum pro vxore habuit. Doryphorum libertum, maritum suum (cum se mulierem effingeret) fecit: Agrippinam matrem incestauit. Prodigalitate exhaustus, ad rapinas se conuertens, templa Deorum spoliauit: Britannicum veneno sustulit: matrem occidi iussit. Senecam & Burrum præceptores interemit: vrbem, caussatus ædificiorum deformitatem, incendit: nobilissimum quemque exitio destinauit, conatus ordinem Senatorium totum subuertere. Christianos multis varijsque suppliciorum generibus prosequutus est. Inter hos Petrum & Paulum Apostolos interfecit. Cùm in odiū eius propter omnia flagitiorū genera, in quibus volutabatur plurimi, exarsißēt Galliæ, Hispaniæq; ab Imperio Romano discessissent, hostis à senatu iudicatus, ab omnibus derelictus, ferrum iugulo adegit, adiuuante trepidam manum Eunucho Sporo, anno ætatis 32. Imperij 14. Mors eius tantam lætitiam populo Romano attulit, vt omnes pileati (veluti in signum partę libertatis) discurrerent: funeratus est impensa ducentorum millium, stragulis albis, auro intextis. Reliquias Aegloge & Alexandria nutrices, cum Acte concubina, gentili Domitiorum monumento, condiderunt.



NERO·CLAVDIVS·CÆSAR·AVG·GER
P·M·TR·P·IMP·P·P· 6

SERGIVS GALBA Patre Sergio Galba, matre Numia Achaia ex nobilissima Sulpitiorum familia progenitus, cùm in adolescentia liberalibus disciplinis & Iuri operam dedisset, per omnes dignitatis gradus ad Proconsulatum Hispaniæ euectus est. Durus & seuerus in re militari, Veteranos, & Tyrones assiduis operibus exercens, seuerissimè eos tractauit: spe Reipub. a Tyrannide liberandæ, à militibus salutatus Imperator, legatum tantum Populi Romani se esse respondebat. Audita tandem Neronis morte, nomen Imperatoris, iam grandæuus, libens aßumpsit, & magna militum copia stipatus, Romam aduenit. Trium flagitiosorum hominum regebatur arbitrio; quibus adeò se abutendum permisit, vt vix sibi ipsi constaret. Hinc prope vniuersis ordinibus infensus, apud milites, Germanos præcipuè, maxima flagrabat inuidia: qui quòd eos nulla largitione donaret, sed inani spe lactaret, sacramentum militare reijcientes, cùm Imperatorem in Hispania factum palàm displicere conclamassent, Othonem ad affectandum principatum non mediocriter incenderunt. Conspiratione igitur facta, ad lacum Curtium in foro Romano miserè trucidatus est. Caput eius à milite gregario amputatum, ad Othonem delatum est, qui cum ludibrio circumferendum, lixis calonibusq; donauit. Truncum corpus, ab Argio dispensatore in hortis eius Aureliæ viæ, sepultum est. Periјt tertio & septuagasimo ætatis anno, Imperij mense septimo.


IMP·M·OTHO·CAESAR·AVG·
TR·P·

AVLVS VITELLLVS ex L. Vitellio clarissimo viro, & Sextilia probatissima fœmina prognatus, primam ætatem apud Tyberiana scorta Capreis egit. Caio per aurigandi, Claudio per aleæ studium, Neroni per Cythamedos & Musica certamina familiaris, eorum fauore, honoribus & sacerdotij s auctus, Proconsulatum Africæ obtinuit. Postea illi à Galba Germania Prouincia est tradita: in qua cùm se exercitui comem, blandum, benignumque exhibuisset, vesperè à militibus, è cubiculo raptus, à Fabio Valentè, vnius legionis duce, Imperator salutatus est, Cùm ei Galbę cædes nuncia ta esset, pacatis Germanicis rebus, copias partitus, aduersus Othonem exercitum parauit. Cùm autem Othonis mortem audisset Prætorianos exautoratos iussit arma tradere Tribunis, quiq; ob cædem Galbę munera poscebant, iussit vt interficeren tur, vt probi principis spem præseferret. Vrbem more triumphantis ingressus, luxurię, libidini, delicijs, & gulę ita deditus fuit, vt ventri omnem operam dare videretur. Arbitrio histrionum & aurigarum gubernabatur, & horum consilio Imperium administrauit. Helluantem Imperatorem, Mœsiarum ac Pannonię exercitus, tum Iudaicus, ac Syriacus destituerunt, in Vespasiani verba iurarunt. Iste contra eos L. Vitellium fratrem misit, qui apud Cremonam superatus est, quamobrem & reliqui Vitelliani Duces in partes Vespasiani transierunt. Destitutus itaque ab omnibus, cum pistore. & coquo in latebras fugit; At hostili exercitu in vrbem irrumpente, è latebra extractus, ligatis post tergum manibus, iniecto ceruicibus laqueo, lacerata veste, seminudus in foro trahitur, mucrone sub mentum posito, quibusdam cæno, & stercoribus incessantibus, alijs incendiarium, helluonem, ebriosum vociferantibus, ad Gemonias scalas raptus, infinitis verberibus cęsus, perijt. Inde vnco tractus in Tyberim proiectus est. Anno ętatis 57. Imperij, mense octauo.


A.VITELLIVS.GERMANICVS.IMP.
AVG.P.M.TR.P.
9

FLAVIVS VESPASIANVS Sabini & Pollæ filius, vltra Reate in Samnijs, Princeps ad omnem laudem natus; à matre vix contumelijs compelli potuit, vt Senatoriam dignitatem, tamquam molestiarum plenam, peteret. Tribunus militum in Thracia, Quæstor in Creta, & Cyrenis post ædilis factus, Prætor sub C. Caligula, ludos ædidit: sub Claudio legatus legionis in Germaniam mißus, in Britanniam translatus tricies & bis cum hoste conflixit. Viginti oppida & Insulam *Vectem, Britanniæ proximam*, Imperio adiecit. *Quare triumphalia ornamenta meruit. Ad comprimendos in Iudæa motus, Flori procuratoris auaritia immanitateque excitatos, missus, castigata castrorum disciplina, cum filio maiore Tito ciuitates* Iudææ *in se conuertit, multisque prælijs strenuum se Ducem exhibuit. Othone & Vitellio de principatu certantibus, à militibus, vt capesseret* Imperium *coactus est. Alexandriæ quendam oculis orbatum inspuitione sua, ac dum calcaret alterum, debili crure claudum, pristinæ sanitati restituit. Cum Tito filio de Iudæa nobilissimum egit triumphum. Vrbem ruinis deformem nouis ædificijs reparauit: Capitolium redintegrauit; Amphitheatrum condidit; Templum Pacis extruxit. Nullius cæde vmquam lætatus, singulare habuit inimicitias obliuisci. Rhetoribus atque Poetis è fisco annua salaria primùm constituit.* In *artifices liberalis: ludos, spectacula ædidit: conuiuia celebrauit honorifica & plurima. cupiditate pecuniæ culpatus aliquantulum ad quam eum & laudabilis vsus, & temporum calamitas prouocasse visa est. Profluio ventris laborans dum consurgit*(I*mperatorem, dicens, stantem mori oportere) ac nititur inter manus subleuantium extinctus est. Anno ætatis* L X I X. I*mperij X.*



IMP. CÆS. VESPASIAN. AVG. P. M.
TR. P. P. COS. II. *10*

TITVS VESPASIANVS, ex patre Vespasiano, matre Flauia Domicilla, natus est. Adolescens Latinis, Græcisque litteris excultus, postea Tribunus militum, in Germania & Britannia militauit. Quæstor factus, meruit præfecturam legionum in Iudæa. Vbi pater rerum potitus, ad vrbem contendit, Titus ad perdomandam Iudæam relictus, Hierosolymam crudeli oppugnatione, fame, ferro, flammaque confecit. Romam reuersus, particeps & tutor Imperij factus, cum patre de Iudæis triumphum egit. Fuit initio de luxuria rapinisque suspectus, vt etiam à plerisque Nero vocaretur; sed hæc in melius conuersa, immortalem ei gloriam pepererunt. Nam suscepta patriæ cura, clementia, liberalitate, honorificentia, pecuniæ contemptu, omniumque virtutum genere, ita excelluit; vt amor, & delicię humani generis passim diceretur. Illud autem maxime cauit, vt ne quem dimitteret sine spe; Illud subinde in ore habens, Non oportere quemquam à sermone Principis tristem discedere. Ad beneficentiam ita propensus, vt quodam die recordatus inter cœnandum quod nihil tota die cuiquam præstitisset, memorabilem illam, laudatamque vocem ediderit; Amici diem perdidi. Clementię mansuetudinisque tanta fuit, vt Pontificatum ob hoc solum acciperet, vt puras à sanguine manus seruaret, nec cuiusquam necis aut auctor, aut conscius esset. In aduersis, quæ tum Vrbi, partim incendio triduano, partim pestilentia acciderant, parentis optimi solicitudinem, affectumque, populo Romano ostendit. Cùm propter heroicas virtutes in auribus atque oculis omnium versaretur, summo totius Vrbis & orbis mœrore, febri correptus, in eodem quo pater apud Sabinos agro, mortem obijt, ętatis anno XLII. Imperij. II. Non desunt qui Titum necatum à Domitio scribun[t], veneno leporis marini propinati.


IMP. T. CÆS. VESP. AVG. P. M. TR.
P. P. P. COS. VIII. ii

DOMITIANVS. *Vespasiani Filius & Domicillæ, Titi frater, fratri patrique per omnia dissimilis, Neroni ac Caligulæ propior vixit. Fratre mortuo, circa administrationem Imperij mistura virtutum ac vitiorum inæquali, se inconstantem præstitit, donec virtutes in vitia plane deflexit. Sumptuosissima spectacula ædidit: Seculares ludos fecit: quinquenale certamē* Ioui Capitolino *instituit, Musicum, Equestre, & Gymnicum. Aedificia publica multa fecit. Biibliothecas incendio absumptas reparauit. Expeditiones quatuor habuit, non sine magna Reip. pernitie: Vnam aduersus Sarmatas, alteram aduersus Cattos: duas aduersus Dacos. Nobilissimos ex Senatu plures interfecit. Philosophos ac Mathematicos vrbe Italiaq; submouit. Indies ferocior magisque Nerone sanguinarius, bona viuorũ, mortuorumque qualicumque occasione prædabatur. Vsque adeò libidinosus, vt inter vulgatissimas meretrices noctu, diuq; versaretur. Cumq; cunctis inuisum & terribilem se reddidisset, amicorum libertorumque conspiratione, ætetis anno* 45. Imperij 15. *oppressus, & trucidatus est: cadauer loculo plebeiorum inclusum, à vespillionibus elatum est, ac à Phille nutrice in suburbio suo, Latina via, funeratum.*


IMP. CÆS·DOMIT·AVG·GER·COS·
XV·CENS·PER·P·P.
12

NERVA COCCEIVS claris ortus natalibus, oppido Narniensi genitus, à Domitiani occisoribus, Anno Christi nonagesimo nono, ætatis verò sexagesimo sexto, Imperator eligitur. In initio principatus, *beneficentię, clementiæ, & liberalitatis signa exhibuit. Reos maiestatis absoluit, exules in patriam reuocauit: Annuos* Iudæorum *census diminuit, ac capitali pœna interdixit, ne quis Christianos, aut Iudæos, in posterum accusaret læderetue. Domitiani imagines, & clypeos publicè detrahi, nomina, & titulos eradi curauit. Ciuibus egenis, vt vitam sustentarent, decies & quinquagies centena millia nummum erogauit, Senatores delegauit, qui agros emerent, & egentibus diuiderent. Puellas puerosque pauperibus parentibus n atos, sumptu publico ali iussit. Ciuitates affectas releuauit. His exhaustus sumptibus, vestes, vasa aurea, argenteaq; suppellectilem, vt amicos iuuaret, vendidit. Vtque impendia leuaret, spectaculorum & ludorum genera sustulit. Principes viros consilijs suis semper adhibuit. Dignos potissimum ad honores euexit. M. Vlpium Traianum Hispanum peregrinum, etsi multos haberet propinquos, propter singulares eius virtutes, in filium adoptauit, & Cæsarem designauit, ad eumque Imperij iura, & insignia cum in Germaniam vsque transmisißet, omniaque in bonum ordinem redegisset, febre correptus morritur, Anno ætatis. LXVIII.* Imperij *anno primo, mense tertio, die nono. Vir optimus, omniumque laude dignissimus.*

bueno


IMP·NERVA·CÆS·AVG·P·M·TR·
·P·COS·II·P·P·
13

TRAIANVS VLPIVS. natione Hispanus vrbe Tubertina oriundus anno Christi centesimo, in castris prope Coloniam Agrippinam, à Nerua Imperatore, voluntate S.P.Q.R. accedente, imperij insignia accepit. Probitate tantum Imperium Romanum ampliauit, quantum vnquam alius. Germaniam cis Rhenum, Daciam, gentesque vltra Danubium aliàs, ditioni Romanę subiecit; Parthos coercuit, Albaniam superauit: qui Euphrati ac Tigri accolunt, Prouinciales Imperij Rom. fecit. Profectus etiam ad Indię fines, ac mare rubrum, tanta in hôstes benignitate vsus est, vt sępenumero amore potius quàm vi, se se subactos dediderint. Romam ingressus, apud populum mitis, apud Senatum venerandus, omnibus denique amabilis est habitus, grauis nulli. In pauperum alimenta multa lagitus est, studiosos & bonos viros honoribus & dignitate auxit. Plutarco Historico & philosopho vsus est pręceptore. Senatum Patrem suum, seque vicissim eius filium appellabat. Eius instinctu in Christianos persecutionem instituit, timens ne eorum multitudo vim imperio faceret. De multitudine interemptorum Plinij secundi litteris, cum factus esset certior, edictum promulgauit, vt ne Christiani propter fidem aliquid amplius paterentur. Spectacula magnifica edidit centum viginti continuis diebus. Circum restituit. Bibliothecas ornauit. Post in Armeniam expeditionem sumsit. Reges multos paruo negocio subegit. Babylonem vsque penetrauit. Arabiam petijt. Agarenos rebellantes frustra adortus, inde re infecta digressus, ac paulo post valetudine aduersa correptus, apoplectus primum, demum aqua intercute repletus, apud Selenuntem Cilicię vrbem, quæ & Traianopolis post dicta est, repente extinctus est, Cum imperaßet annos xix. menses vi. dies xv. Aetatis anno lxiiij. Cuius extincti cineres vrna aurea ad basim columnę suæ Romæ conditi sunt.


IMP. CÆS. NERVÆ. TRAIANO. AVG. GER.
DAC. PARTH. P. M. TR. P. COS. V. P. P.
14

PVBLIVS AELIVS ADRIANVS, ex Aelio Adriano Afer & Domitia Paulina Romæ natus, à Traiano adoptatus, Imperator factus est, Anno Christi centesimo decimo nono. Initio imperij omnem operam dedit, vt pacem in toto orbe componeret; armorum, & rei militaris peritissimus, tantas copias habuit, quantas Imperatorum ferè nullus. Totũ propemodum orbẽ peragrauit, nempe adeo cupidus peregrinationis, vt omnia, quæ de locis orbis legerat, præsens vellet addiscere. Litterarum in vtraque lingua peritissimus, Mathematicus insignis, Astrologus, & Geometra acutissimmus, Musicus, Poeta, Medicus. Pictura, sculpturaque tantum valuit, vt plurimas imagines sua manu depinxerit, & quasdam etiam in ære ac lapide artificiosè celauerit. Opera publica maxima elegantissimaque fecit, quorum in Vrbe alibique satis clara memoria extat. Athenis cum hyemaret, obtulerunt ei Quaratus atque Aristides (qui Apostolorum fuerant discipuli) libros quosdam in Christianæ fidei defensionem à sese conscriptos, quorum lectione aliquantulum in fide Christiana eruditus, rescripsit, indignum esse Christianos Religionis caussa passim occidi. Cumque Cothebas Iudaicæ factionis Princeps Christianos varijs cruciatibus, quod aduersus Romanos nollent arma mouere, insequeretur, Adrianus omnes passim Iudæos interfici curauit, neuè cuiquam illorum aditus Hierosolymam pateret, interdixit, donauitque Ciuitatem illam mœnibus probè munitam, Christianis, eam de suo nomine Aeliam appellans. Memoria fuit vsque ad stuporem felicissima: ingenij liuidi, lasciui, & ad ostentationem insolentis. Annio Antonino adoptato, cum in lethalem morbum incidisset, venenum à medicis non semel postulauit, & ob animi impatientiam, semel atque iterum à seruis, & libertis gladio iugulari petijt. In conspectu Antonini tandem apud Baias moritur. Anno ætatis LXII. cum imperasset annis XXI. mensibus XI.


IMP. CAES. TRAIAN. ADRIANVS. AVG
P. M. TR. P. COS. II.
25

ANTONINVS, ex Tito Aurelio, & Fatidilla natus, filius adoptiuus Adriani, Imperium suscepit, Anno à Natiuitate Christi, centesimo quadragesimo; ea probitate ac integritate Princeps, vt auctoritate Senatus, meritò PIVS, cognominatus sit. Per legatos suos plurima bella gessit: Britannos, Mauros, Dacos, Germanos, Iudæos rebellantes contudit; Alanos refrenauit; in Achaia atque in Aegypto rebelliones repressit. Orbem prope vniuersum, non armis, sed sola virtute, auctoritate & fama bonitatis, quæ de eo ferebatur deuicit, pacis amantissimus, illud Scipionis semper habuit in ore; Malle se vnum ciuem seruare, quàm mille hostes occidere. Iustinus philosophus conscripto de fide Christiana libro, cum eum Antonino nuncupasset, ita eum in Christianos beneuolum reddidit, vt quietos ipsos in sua religione perseuerare admiserit, vsque in principatus sui annum quintumdecimum. Postea Crescentis Hæretici, multa de nocturnis coitionibus, puerorum cædibus, & comestionibus, & stupris in Christianos impudenter configentis, mendacijs & persuasionibus inductus, tanto odio in Christianos exarsit, vt cunctis Asiæ præsidibus, edicto præceperit, vti Christianos omnes occiderent ac penitus extirparent, in qua persecutione etiã Iustinus philosophus, martyrij coronam suscepit. Opera publica multa restituit. Spectacula plurima edidit. Amicis non aliter vsus est in imperio, quã priuatus. Ociosis salaria subtraxit dictitans. Nihil esse crudelius, quàm rem ab ijs corrodi, qui nihil in eam suo labore conferrent. Seditiones non crudelitate, sed modestia compressit. In victu eius opulentia sine reprehensione, parsimonia sine sordibus enituit. Moriturus Remp. M. Antonino commendauit. Febre correptus tertia die animam exhalauit, ætatis anno 70. Imperij 23. Sepultus in mole Adriani.



ANTONINVS.AVG.PIVS.P.P.
TR.P.COS.III. 16

L. AVRELIVS VERVS, Patre L. Aelio vero, & matre Domitia Caluilla progenitus, ab Antonio Pio, vna cum M. Aurelio in filium adoptatus, æquo iure post obitum PII, cum eodem Imperium administrare cœpit, à Christo nato, centesimo sexagesimo secundo Anno. In Syriam profectus, adulterijs & omni genere luxuriæ fuit infamatus: quæque in Syria conceperat vitia, Romam deduxit; popinæ, aleę, nocturnis incursionibus ita deditus, vt Neronis, Caij, & Vitellij æmulus videretur. Quæ omnia quasi nesciens Marcus dissimulabat, ne pudore illo fratrem carperet: atque ne in oculis omnium peccaret, ab eo in Partichum bellum missus est; sed nihil profecit, in homine voluptatibus, spurcitijsque dedito. Bellum tamen Parthicum eius duces confecerunt, qui Babylonem, Mediam, Armeniamque vendicabant, vndè nomen Armenici, Medici, Parthici, Medici, acquisiuit; quod & Marco Romę agenti delatum est. Ad amicæ vulgaris arbitrium, in Syria barbam posuit; vndè secum Romam Histriones, fidicines, tibicines, scurras, pręstigiatores multos adduxit, cum quibus in villa sua insaniuit: quod peperisse clandestinas inter ipsum & Marcum simultates rumor erat. Apoplexia correptus, ex bello Germanico, rediens in vehiculo sedens, cum fratre, apud Altinum, inter Veronam & Concordiam, iter faciens, perijt, cùm triduo mutus vixisset, post sanguinis detractionem, Vixit annis XLII. Imperauit cum fratre annis XI. In sepulchro Adriani sepultus est.


L·AVR·VERVS·AVG·ARM·PAR=
THICVS·MAX·
17

MARCVS AVRELIVS ANTONINVS Philosophus, ex Patre Annio Vero, & Domitia Caluilla matre natus, post obitum Lucij Veri, solus Imperij gubernaculis potitus, per omnia sibi in anteacta vita similis, prouincias summa veneratione ac modestia gubernauit. Populo adeò gratus, vt à plurimis, totius Orbis defensor, & ob singularem iustitiam Verissimus, speculumque virtutum appellatus sit. Persecutionem in Christianos à temporibus Antonini Pij cœptam, sub hoc Imperatore plurimùm auctam, Melito insignis Christianorum defensor ac patronus, datis ad Imperatorem litteris, ita coercuit; vt edicto Ephesi in Comitijs publicè proposito, Imperator cauerit, si quis Christianum quempiam, eo nomine saltem quòd Christianus sit, accusauerit, reus quidem absolueretur, alius autem eam pœnam subiret, quam Christiano intentabat. Nouo ex improuiso in vniuersa Europa tumultu exorto, exactionibus Imperium grauare nolens, omnia sua Imperialia vxorisque ornamenta in foro Traiano diuendidit, exercituque comparato in Germaniam cum filio suo M. Commodo profectus, contra Venetos, Quados, & Sclauos dimicauit. Victor exercitum in Panoniam atque Illyriam duxit; postque victoriam partam ætatis LXI. Imperij verò XVIII. anno, diem vltimum clausit. Audito nuncio mortis, Vrbs publico luctu confusa mœrorem induit, Senatus atra veste dolorem testatus est: quod de Romulo creditum est, omnes vnanimi consensu affirmabant, Marcum cælo receptum esse: ob cuius honorem templa, columnæ, multaque alia decreta sunt.


IMP. CÆS. M. AVR. ANTONINVS. AVG.
GERM. SARMATICVS.
18

L. AELIVS AVRELIVS COMMODVS, ex M. Antonino Philosopho & Faustina natus, Patre in Germania mortuo, Anno post Christum natum centesimo octuagesimo secundo Imperij gubernacula suscepit Germanicum bellum sibi à patre relictum, cùm iam res ad victoriam inclinaret, turpiter deserens, contempto amicorum consilio, Romam properauit. Crudelitate, libidine, superbia, Caligulam & Neronem longè superauit: per tabernas & lupanaria sese turpiter volutauit. Prouincias facinorosissimis hominibus demandauit. Senatum contempsit. Nobiles plurimos interfecit: matrem Faustinam in exilium misit. Inter trecentas concubinas, quas ex matronarum, meretricumque delectu, ad formæ speciem collegerat, in Palatio, per conuiuia & latebras debacchabatur; cum trecentisque exoletis, Lucillam sororem occidit; cæteras constuprauit. Totam Imperij administrationem Perennio consiliario commisit. Paternum nomen contemnens, abiectis Imperialibus ornamentis, se Herculem Romanum, Iouis filium appellauit, exuuias leonis indutus manuq; clauam gestans, nudus ludos & gymnasia frequentans incedebat. Vrbem Romam, Senatum Populumque de se Commodianos appellabat. Bella per legatos gessit. Tandem facta in eum conspiratione, per Q. Aelium Lætum Præfectum, & concubinam Martiam, quam inter omnes dilectissimam habuit, cùm ei venenum inefficax propinatum esset, per athletam, quem Herodianus Narcium appellat, strangulatus est. Anno ætatis 32. Imperij 13. Senatus decreto cadauer vnco tractum in Tyberim proijci debuit: at iussu Pertinacis in monumentum Adriani translatum est.



M.ÆL·AVREL·COMM·AVG·P·FEL·

19

P. HELVIVS PERTINAX. *Ex Patre Heluio Successo, in Appennino, in Villa Martis, natus est. Pertinax dictus ex continua lignariæ negotiatione; quod eam pertinaciter exerceret. Commodo occiso, Lætus Præfectus prætorio, & electus Cubicularius, nocte intempesta, mortem eius annunciarunt Pertinaci, eumque in castra ductum Imperatorem designarunt, sexagenario maiorem, Anno Christi centesimonono agesimo quinto. Fuit vir fortis & strenuus, omnibusque se beneuolum semper & ciuilem exhibuit. Aes alienum ab initio Imperij contractum, facta auctione supellectilis, Commodi Imperatoris, dissoluit, operibus publicis certum sumptum constituit: stipendia debita soluit, præmia militibus posuit, annonæ consultissime prouidit. Senatui semper præfuit. Quidquid inculti soli vacabat occupantibus adiudicauit, decemque annorum immunitatem, & perpetuam libertatem agricolis concessit. Auaritiæ tamen suspicione non caruit. Nam & sordidè in prouincijs se gessit, & cùm patrimonium ei esset perexiguum, subitò factus est diues. Quinimò apud vada Sabatia mercaturas Imperator exercuit, non aliter quàm priuatus; ob hoc militibus omnibusq; aulicis inuisus, à Læto Præfecto, qui eum Imperatorem fecerat, in Palatio est confossus cum duobus Cubicularijs: cùm vixisset Annis LX. mensib. 7. diebus 26. Milites qui eum interfecerant, caput conto fixum, per Vrbem in castra pertulerunt. Mortem eius populus indignissimè tulit, & idcircò in Diuos est relatus,*


DIVVS.PERT.PIVS.PATER.
20

DIDIVS IVLIANVS MEDIOLANENSIS.

Filius Pratorij Didij Seueri, & Claræ Aemiliæ. Literarum, præsertim Iuris, *peritissimus; audita morte Pertinacis, militibus venale Imperium, ei qui plus auri argentìue afferret, proponentibus, cùm in muro de numeranda pecunia cum militibus conuenisset, ac multò plura etiam quàm sperarent se daturum illis pollicitus esset, ab illis admissus,* Imperatorq; *est appellatus. Adeptus* Imperium *delitijs atque crapulæ se totum dedit. Senatu neglecto, militibus vana spe pollicitationum elusis, contemptui passim ab omnibus haberi cæpit. Quamobrem Senatus C. Pescenium Nigerium, ad vrbis præsidium euocauit, qui paulo post in Syria cum exercitu suo à* Iuliano *defecit. Seuerus quoque in* Illyrico *copiarum dux, ab eodem desciuit: hic in Pannonia, ille in Oriente, à suis* Imperator *declaratus. Quamquidem rem* Iulianus *indignissimè tulit; sed cùm desperata omnia videret, de participatione* Imperij *cum Seuerò Senatusconsultum fieri obtinuit. Cæterùm Seuerus se malle* Iuliani *hostem esse, quàm Imperij participem litteris ad Senatum datis testatus est. Destitutus omnium præsidijs* Iulianus, *ad Magicam se conuertit, populi odium delinire, & militum animos, hac ratione, compescere credens. Tandem auctoritate Senatus abrogatum est ei* Imperium; *Seuerus* Imperator *appellatus. Iulianus autem à quodam gregario milite, inter fœdissimas complorationes, obtruncatus est. Vixit annis LV*I. *mensib. 4. Imperauit mensib. 2. dieb. 5. Corpus eius vxori à Seuero traditum, in proaui monumento sepultum fuit.*



IMP. CÆS. M. DID. SEVER. IVLIAN. AVG.

21

C. PESCENNIVS ex patre Antonio Fusco, matre ampridia natus, à nigra ceruice Niger appellatus, mediocri-r eruditus, moribus ferox, diuitijs immodicus, vita parcus, ad nne vitium procliuis fuit. Ab exercitu Syriaco, cui tunc præ-rat, Imperator salutatus, eo ferè tempore quo Seuerus in Illyri à suis militibus Imperator itidem creatus est: quo nuncio ac-epto, copias quas habere potuit, conflauit, circaque Byzantiũ ram omnem occupauit, vt Seuero ad se perdendum venienti, er interciperet. Cæterum exercitus eius, Aemiliano Duce, ui Niger summam belli concrediderat, ad Cyzicum fusus, fu-atusque est: exercitu nouo instaurato, & apud sinum Issicum er Seuerum profligato, Niger fuga elapsus, Antiochiam per-enit. In suburbano latitans repertus, capite truncatus est: uod pilo infixum hinc inde circumferebatur. Filij eius cum natre in exilium acti, paulò post occisi, omnesque illius amici upplicio affecti fuerunt. Miles fuit optimus, Tribunus singu-aris, Dux præcipuus, Legatus seuerissimus, Consul insignis, omi forisque conspicuus, Imperator infelix.



IMP·CÆS·C·PESC·NIGERIVS·AVG.

CLODIVS ALBINVS Ex patre Caionio Posthumio, matre Aurelia Messalina genitus, ob res præclarè in militia gestas, à Commodo Cæsarianum nomen oblatum, cum gratiarum actione modestissimè recusauit, à Seuero primus Consul, postea verò etiam censors Imperij declaratus est. Victo Pescennio, à Seuero (qui Albinum latè imperare ferre non poterat) primùm insidijs est petitus, quibus detectis, manifestè contra eum exercitum Seuerus duxit. Multis prælijs vario Marte acerrimè pugnatum, tandem vltimo prælio commisso, fusæ sunt Albini copiæ. Albinus sauciatus à militibus captus. semiuiuus ad Seuerum ductus est; cuius caput abscissum. pilo prius circumlatum, Romamq; missum, publicè patibulo affixum est. Corpus ante prætorium ad fœtorem vsq; iacuit, laceratumq; à canibus in profluentem coniectum est.


D. CLOD. SEPT. ALBINVS. CÆS

I. SEPTIMIVS SEVERVS. Ex Patre M. Geta equite Romano, & Fuluia Pia, in Lepti Ciuitate Africæ natus, cùm Cos. Germano exercitui præpositus esset, vbi auditum fuit Commodum occisum, ac Iulianum odio multorum imperare, instigantibus multis, repugnans à militibus Imperator appellatus est. Occiso Iuliano, Romam armatus petijt, cunctis trepidātibus, & ciuilis belli periculum metuentibus, quòd Pescennius Niger, & Clodius Albinus ad Imperium quoque aspirarent. Contra Pescennium Antiochiæ degentem, exercitum ducens, eundem bis prælio victum, interfecit: Contra Clodium itidem Albinum bello suscepto, illud non minore felicitate confecit. Profligatis enim Albini copijs, ipsum semiuiuum cœpit, & occidi iussit. Ordinatis Britanniæ, Galliæque rebus, Romam rediens, populum ac milites multis muneribus donauit: ærarium auxit, ludos seculares peregit. Maiorem filium Cæsarem declarauit. Iterum in Orientem profectus, Arabiam & Armeniam peruagatus, Parthos superauit. Vrbem indè ouans ingressus, spectacula & ludos edidit, magnum dedit Congiarium, Ius dixit: Ciuilibus negotijs liberisque crudiendis intentus. Tādem ad sedandam in Britannia dissenssionem cum ambobus filijs iam decrepitus profectus, subactis Barbaris, senex morbo in Britānia consumptus est. Anno ætatis LXXXIX. Imperij XVIII. Cineres ex Eboraco in loculo aureo Romam aducti, in sepulchro Antonianorum sunt conditi.



L.SEPT.SEV.PERT.AVG.IMP.VIII.

24

D

M. AVRELIVS ANTONINVS BASSIANVS. Ex patre Seuero Imperatore, & Marcia matre, Lugduni procreatus, CARACALLAE nomen, à vestimento demisso ad talos vsque, quod populo dedit, accepit: à patre in Albini Cęsaris interfecti locum, anno post Christum natum centesimo nonagesimo octauo, subrogatus est: In pueritia blandus, postea in omnem inhumanitatem ac sæuitiam se conuertit. Patre mortuo, exercitu maximo coacto, summam potestatem nactus, apud milites conquestus, fratrem sibi venenum parasse, atque matri rebellem esse, eum in Palatio occidi iussit. Vrbem ingreßus, fratris sui domesticos & amicos, interfecit, nec infantibus parcens. Bonis diuitum inhians eos quacumque causa conficta, necabat. Commodi sororem anum, morte affecit, & quicquid ex cognatione Imperatoria, aut in Senatu ex Patricia nobilitate supererat, quasi à stirpe abstulit. Vestales virgines viuas terra obruit. Propter crudelitatem se perosum sentiens, Roma relicta in Galilæam secessit: affectans nomen Parthici ad Orientem festinauit, quod & obtinuit. Hyematurus in Mesopotamia, apud Carras Vrbem, dum Lunæ deæ templum inuiseret, & ad requisita naturæ discederet, insidijs à Macrino præfecto positis, per Martialem centurionem pugione per auersum est traiectus, dū subligacula deduceret, uentrisque oneri leuando intenderet. Martialis fugere volens, à custodibus corporis interficitur. Macrinus per dissimulationem mortem eius deplorans, corpus cremari iussit, reliquias in vrna matri Iuliæ ad sepulturam misit, quas in sepulchro Antoninorum condidit. Vixit annis XLIII. Imperauit VI. Thermas sui nominis, pulcherrimi operis in Vrbe Roma ædificauit: quarum ruinæ insignes visuntur.


M.AVREL.ANTONINVS.PIVS.AVG.
BRIT.
25

P. SEPTIMIVS GETA. *Ex patre Seuero, matre Iulia Mediolani natus, moderatus & lenis, honestiora studia tractauit. ac disciplinarum gloria viros celebres circa se frequenter habuit: placidus, humanus, in optimos quosque vestitus nitidi cupidissimus. Post Parthicum bellum, cùm ingenti gloria floreret, Bassiano principe Imperij appellato, ipse quoque Cæsaris & Antonini nomen accepit. Mortuo patre Seuero, insidijs multis à fratre (quòd eum lenitate morum à se discrepantem ferre consortem Imperij, Bassianus non poßet) petitus est. Cumque eos sæpius reconciliare, magnæ auctoritatis viri conati essent, Imperium vtrisque consentientibus ita diuiserunt, vt Europa cum partibus Meridionalibus, Antonino Bassiano, Asia verò & quidquid in Orientem vergit Getæ cederet: sed neque ea ratione, odium in fratrem conceptum, Bassianus deponere potuit. Et cùm paratæ veneno insidiæ non procederent, in cubiculum eius Antoninus irrumpens, Getam nihil tale expectantem, supra matris pectus crudelissimè interfecit: Corpus maiorum sepulchro illatum.*


IMP. CÆS. P. SEPT. GETA. PIVS. AVG.
26

M. OPILIVS MACRINVS. Infimæ sortis Libertinus, cuius parentes propter ignobilitatem ignorantur, interempto Antonino Caracallæ, anno à Christi natiuitate, ducẽtesimo decimo nono, à militibus Imperator electus est. Ad Parthicum bellum profectus, post primum conflictum fœdus inijt, inducias Arthabano Rege petente. Ex Mesopotamia Antiochiam profectus, in omnibus delicijs vixit, histrionibus, gladiatoribus, luxui, crapulæque deditus. Filium suum Diadumenum consortem Imperij fecit, atque Antoninum (eo quòd nomen illud, eo tempore, omnibus amabile esset) appellauit, vt à se interfecti, Antonini Caracallæ suspicionem militibus demeret; cuius simulacra ex auro confici curauit, eumque inter Diuos retulit. Homo vitiosissimus & sordidissimus. In domesticos tam ferus & crudelis, vt non Macrinus, sed Macellinus (quòd macelli, specie, domus sua cruentaretur) appellatus à multis fuerit. Tandem proditione militum, & defectu legionum, ad Varium Heliogabalum, victus cum paucis fugiens, in vico Bythiniæ cum filio Diadumeno, quinquagenario maior, occisus est, suis partim deditis, partim fugatis, partim interfectis. Vtriusque caput abscissum, ad Antoninum Heliogabalum delatum est. Imperauit annum vnum, & menses duos.


IMP. CÆS. M. OPEL. SEV. MAGRI-
NVS. AVG.
27

DIADVMENVS. *Ex Macrino & Numia Celsæ natus, occiso Bassiano, ab exercitu, cum patre Opilio Macrino Imperator est appellatus. Pater nomen Antonini ei indidit, veritus ne exercitus, in aliquem Antoninorum, qui non pauci ex affinibus Antonini Pij superfuerant, inclinaret: quod factum Senatus etiam libenter comprobauit, idque magis odio Antonini Caracallæ, cuius dissimilem huic futurum credebat. Puer fuit speciosissimus, vnà cum patre captus, interfectus est, quem cùm nonnulli sub necem Macrini, seruare vellent, cubicularius quidam protulit epistolas Diadumeni, quibus futuræ eius crudelitatis indicia non obscurè significabantur: quæ mortem eiús accelerauerunt.*



M.OPEL.ANTONINVS.DIADV:
MENIANVS.CAES. 28

M. ANTONINVS. Bassianus Varius Heliogabalus Caracallæ & Symiamiræ Scorti filius, à prima ætate in summo luxu turpitudineque enutritus, astu mulieris Variæ auiæ suæ ad Imperium peruenit, Anno à Christo nato ducentesimo vigesimo primo. Ingressus Vrbem, Heliogabalo, cuius sacerdos fuerat in monte Palatino templum consecrauit. Matrem suam in Senatu, Consulum subsellia occupare voluit, eiusque arbitrio omnia permisit, ipse omnium vitiorum generibus ita contaminatus, vt multi pœnitentia ducti, quòd Macrinum eiusque filium Diadumenum occidissent, in Alexandrum Heliogabali consobrinum, animum inclinarent: quem licet ipse sibi adoptauerat, Cæsaremque fecerat, tamen muliebri inconstantia, & Cæsaris nomen illi abrogandum, & titulos atque statuas luto tegendas, ipsumque trucidandum in animum induxerat: cumque cũ Alexandro in gratiam redire nollet, à militibus, in latrina ad quam confugerat, vnà cum matre interfectus est, ætatis anno XVI. Imperij II. mense 7. Cadauer, more canis tractum, in Tyberim, pondere annexo, præcipitatum est. Nomen eius iubente Senatu erasum, cuius memoriam non nisi obscœnitate turpitudineque planè incredibili ad posteritatem transmisit, indignus cuius vita in nefanda libidine transacta, litteris commendetur. Nam præterquam quòd cupiditatem stupri, quam assequi naturæ defectu non poterat, in se conuertens, muliebri nomine Bassianam pro Bassiano iusserat appellari, Vestalemque Virginem, quam matrimonio iungens suo, abscissis genitalibus, matri se Manæ sacrauerat, in Oresta Vrbe à se condita, humanas hostias sacrificasse inauditamq; crudelitatem exercuisse scribitur.


IMP.C.M.AVR.ANTONINVS.AVG.
29

ALEXANDER SEVERVS. Ex Vario & Iulia Mammæa Syra genitus, anno Christi ducentesimo vigesimo quinto, Imperiū administrauit; ab impuro fratre adoptatus, in nullo scelere illi voluit participari; optimis sanè Principibus æquandus, innocentia, in viros bonos beneuolentia, & singulari in omnes clementia. Infames ab Heliogabalo in officio admissos, ministerio aulico priuauit: Palatium, expulsis impudicis, purgauit. In tractandis negotijs solos doctos; in re militari, senes ac benè meritos, historiarumq; peritos, adhibuit. Præfectos ex Senatus auctoritate constituit, pauperum filios publicè aluit, opera publica multa instituit, & instaurauit. Mater eius Mammæa in Antiochiam profecta, ab Origene Presbytero in fide instructa, Christiana facta est. Ipse quoque Alexander matris persuasionibus inductus, adeò à Christiana Religione non abhorruit, vt eum nonnulli Christum in Larario semper habuisse, & locum Christianis, quibus popinarij litem intendebant, adiudicasse scribant. Sententiam Christianam semper in ore habuit. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Persarum Regem vicit, de illoque Romæ triumphum egit. Per Proconsules suos in Mauritania, Illyrico, Armeniaque multa feliciter gessit. Bello Germanico, collecto exercitu, in Gallias profectus, ibi à militibus, quòd in eos seuerior, mater autem auarior esset, Maximino Duce, vnà cum matre ad Rhenum propè Moguntiam trucidatus est, eo ipso die quo natus fuerat. Anno ætatis suæ XXIX. cùm imperasset annis 13. mensibus 3. Diebus 7. Senatus Populusque omnis, nuncio de morte eius accepto, valde contristatus est, ac in optimi Principis honorem, Cœnotaphium in Gallia, Romæ sepulchrum amplissimum statuit.


IMP. CÆS. MAR. SEV. ALEXANDER. AVG.

30

MAXIMINVS THRAX. Ex patre Micæa & matre Ababa barbaris natus, pastor & Opilio fuit: corporis vastitate ac robore insignis, stipendia sub Seuero meruit, sub Caracalla ordines militares duxit, sub Macrino militare desiit, in patriam se recepit: sub Heliogabalo Romam rediit, sed inuento homine impurissimo, à militia decessit: interfecto Heliogabalo, iterum Romam reuersus, ab Alexandro gratanter susceptus, & exercitui vniuerso præfectus est. Alexandro cum matre à militibus Maximini persuasione interfecto, ipse Maximinus, primus ex corpore militari, nondum Senator, ab exercitu Augustus dictus est, anno Christi ducentesimo trigesimo octauo, filio sibimet in participationem Imperij dato. Principatum adeptus omne crudelitatis genus exercere cœpit: vndè Cyclops, Busyris, Chiron, Phalaris, Typhon, & biges cognominabatur. Omnes generis sui conscios, ignobilitatis tegendæ causa, interfecit. Germaniam ferro flammisque populatus, Sarmatis quoque bellum inferre parauit, cupiens vsque ad Oceanum Septentrionales partes subiugare. Sed postquam didicit se cum filio hostem à Senatu iudicatum esse, Italiam ingressus, Aquileiam obsidione cinxit: in qua cùm vehementer fame laboraretur, ipseque Maximinus in odium totius exercitus venisset, vnà cum filio suo, in Castris, dum in tentorio suo quiesceret, trucidatus est, sexagenario maior. Capita hastis suffixa. Aquileiensibus ostensa, Romamq; missa, in Campo Martio, insultante populo, exusta sunt, cadauera in profluentem eiecta. Fuit Maximinus vltra corporis vastitatem, tanto robore præditus, vt septem valentissimos milites, prosterneret, terræque allideret: tantæ voracitatis, vt vno die 40. vel vt Cordus dicit, 50. libras Carnis ederet, Amphoram Capitolinam vini biberet. Imperauit annis tribus.



MAXIMINVS·PIVS·AVG.GERM.

C. IVLIVS VERVS MAXIMVS. Maximini Imperatoris & Calphurniæ filius, paternæ proceritatis hæres, tanta fuit corporis pulchritudine, vt procaciores fœminæ ex eo concipere vehementer optauerint. Animo in tantum elato, vt dum pater, homo alioquin crudelissimus, plerisque honoratis assurgeret, ipse residens, pedes & genua sibi osculari passus sit. Vini parcus, ciborum appetens, quem non nisi ex Syluestribus animantibus paratum, maxima cum auiditate, capiebat. In cultu ornatuque corporis maximè occupatus, mulieres etiam ipsas superare videbatur, simul cum patre Imperator factus, cum eodem, Anno ætatis suæ XVIII. in tentorio dormiens à militibus occisus est, militari ioco cunctis conclamantibus, EX PESSIMO GENERE, NE CATVLVM QVIDEM HABENDVM.


IVL.VERVS.MAXIMVS.CAES.
32

M. ANTONIVS GORDIANVS, patre Metio Marullo, matre Vlpia Gordiana natus, in literis humanioribus bene versatus, præter amplissimas facultates quas possidebat, ingenij moderatione, rerumq; gerendarum dexteritate, id assecutus est; vt cùm Proconsul in Africa esset, alij eum Scipionem, alij Catonem, Mutium, Rutilum aut Lælium dicerent. Cùm Maximinus propter tyrannidem odium sibi maximum apud omnes conflasset, facta defectione militum in Africa, Gordianus iam octuagenarius, apud oppidum Thystrum, vnà cum filio, Imperator à militibus, reluctans & inuitus, factus est; quæ res Senatui gratissima accidit, qui etiam ambos Augustos declarauit. Interea Capellianus quidam, Imperium sibi vsurpare cupiens, collecto exercitu, contra duos Gordianos profectus est: contra quem Gordianus filium suum Gordianum misit. Pugna commissa, non modò Gordianus Iunior, rei militaris expers, interfectus; sed & in exercitu tanta strages edita est, vt Imperatoris cadauer diu quæsitum, vix inueniri potuerit. Quo nuntio accepto, pater, cùm modicas vires suas, Maxentij magnas perpendisset, instantemq; Capellianum, & raram fidem Punicam extimuisset, ne in manus hostium viuus perueniret, laqueo vitam finiuit. Imperij anno 2. mense 6.




E 2

M. CLODIVS PVPIENVS MAXIMVS homo nouus, patre fabro ferrario, matre Prima natus, à prima ætate, in re militari benè fæliciterq. versatus, militaris Tribunus primùm fuit, postea Proconsulatum Bithyniæ, Græciæ, & Narbonæ egit. Legatus Sarmatas in Illyrico contudit, & ad Rhenum rem contra Germanos fæliciter gessit; acumine ingenij, prudentiæq. laude conspicuus: Maximino hoste patriæ pronuntiato, à Senatu Imperator, *vnà cum Balbino, designatus est; ea lege, vt Balbinus domi in Vrbe, iste verò foris cum exercitu, Reip. commodis inseruiret.* Profe*ctus itaq. contra Maximinum Pupienus, ipso militari seditione interfecto, recepto eius exercitu, rebus q. ad Aquileiam compositis, ad Vrbem reuersus, Reip. negotia cum Balbino pulcherrimè procurabat:* Interea milites *pœnitentia ducti, quòd Maximino, quem ipsi delegerant, è medio sublato, ijs quos Senatus legerat, subesse cogerentur; occasione ex principum ipsorum simultatibus, & dissensionibus, quibus laborare cœperant, arrepta, dum Maximus contra Parthos, Balbinus contra Germanos expeditionem pararet, impetu militum, à Palatio deturbatus, perq. mediam ciuitatem ad* Castra *tractus, vterque interfectus est, Anno* Imperij II.

M. CLODIVS PVPIENVS GERM.

34

M. CAELIVS BALBINVS. Originem à Balbo Cornelio Theophane ex Hispania ducens, eloquentia clarus. Consul Asiam, Africam, Bithyniam, Galatiam, Ponthum, Thracias, & Gallias administrauit, magis ad pacis consilia sectanda, quàm ad bella gerenda natus. Imperator vnà cum Pupieno designatus, illo contra Maximinum cum exercitu profecto, res vrbanas procurabat: quo tempore tanta inter Prætorianos & Populum seditio fuit orta, vt ad bellum intestinum veniretur, vrbs incenderetur, templa fœdarentur, & plateæ omnes cruore polluerentur, frustra prohibente Balbino; nec aliter tumultus sedari potuit, quàm puero Gordiano, qui ex Gordiani Cæsaris filia natus erat, in medium producto, & Cæsare declarato, permissa Pupieno & Balbino Imperij potestate, dum puer adolesceret. Pupieno post Maximini necem, in Vrbem reuerso, vnà cum eo pari auctoritate, optimis, legibus, Senatu Populoq; gaudente Imperium administrauit. Et cùm in Germaniam profectionem adornaret, cum eodem Pupieno, à militibus Maximinianæ factionis, anno Imperij secundo, crudeliter interemptus est.


IMP.CÆS.D.CÆL.BALBINV.AVG.
35

M. ANTONIVS GORDIANVS. Iunior, Senioris nepos, natus, vt plures asserunt, ex filia Gordiani, vel ex Gordiano, qui in Africa periit. Maximo & Balbino interemptis, cùm annum ageret decimum tertium, à Senatu Populoq. Romano cum maximo applausu, Augustus appellatus, Imperium adeptus est, Anno Christi ducentesimo quadragesimo primo. Ob pulchritudinem, bonosq. mores, in tantum diligebatur, vt Senatus & milites eum filium, Populus delicias suas appellaret. Duxit vxorem filiam Misithei doctissimi viri, cuius consilijs adiutus multa præclarè gessit. Contra Persas profectus, per Mæsiam iter faciens, quicquid hostium in Thracijs reperit, fugauit; per Syriam, in Antiochiam veniens, Persas, qui eam occupauerant, frequentibus prælijs vicit. Sapore Rege submoto, Carras Nisibin recepit. Misitheo consultore optimo, artibus Philippi sublato, Gordianus, Philippum in eius locum assumpsit, Præfectum & parentem appellauit: qui eius beneuolentiæ ac beneficij immemor, tantum artibus apud milites effecit, vt Gordiano, quasi tutor primum datus, Imperium vnà cum eo administraret, vt postea in eam superbiam venit, vt Gordianum neque in Imperatoris, nec in Cæsaris, neque in Præfecti, neque in Ducis alicuius loco haberet. Et cùm se viuere tantum precaretur, clamantem, ante conspectum duci, & strangulari iussit. Anno ætatis 22. Imperij 6. corpus eius apud Corceium castrum, propè fines Romani Persiciq. Imperij positum, nomen loco dedit, Sepulchrum Gordiani.


IMP. CÆS. M. ANT. GORDIANVS. AVG.
36

C. VALENS HOSTILIANVS, quibus parentibus prognatus fuerit, non solùm scriptores reticent, sed & gestorum eius memoria adeò obscura est, vt apud plerosque Historicos, nullam planè de eo mentionem factam inuenias. Scribunt nonnulli, post Gordiani mortem, Marcum quendam à Senatu Imperatorem designatum fuiße, qui cùm subita morte discessißet, hunc Hostilianum successorem ei datum: qui & ipse, cùm repente in morbum incidisset, medicis malè venam soluentibus, occubuerit. Non desunt qui credant, eum Marco viuenti consortem Imperij adiunctum, & à Senatu Augustum appellatum fuiße. Vtrumq; morte celeri præuentum, siuè malè, siuè benè gestarum rerum memoriam, ad posteros transmittere non potuiße.


IMP. CÆ. C. VAL. HOS. MES. QVINTVS. A.
37

M. IVLIVS PHILIPPVS Philippi Arabici Imperatoris, & Seueræ filius, à patre, principatus sui anno primo, in Cæsarem Regemq. collegam, aßumptus est. Adolescens adeò ad seueritatem tristitiamq. natura compositus traditur, vt à quinto ætatis anno, nullis cuiusquam facete dictis actisve, ad ridendum prouocari potuerit; patremq. in ludis secularibus petulantius cachinantem, adhuc tener, vultu auerso aspexisse notatus sit. Romæ à Prętorianis, duodecimo ætatis anno occisus est, opera Decij, qui vt se cultus Deorum suorum obseruantissimum Romanis ostenderet, Christianum hunc principem, hoc exemplo multos à vera Religione amplectenda deterrendo, ferendum nulla ratione putauit.


IMP. M. IVL. PHILIPPVS . AVGVS .

M. IVLIVS PHILIPPVS ARABS. Urbe Rostris Arabiæ, ex ignobili genere, patre nobilissimo latronum ductore, ortus, virtute rei militaris clarus cum Gordiano contra Persas profectus, & ab eo, post obitum Misithei, Præfectus Prætorij creatus, rerum secundarum insolentia elatus, ad eam immanitatem deuenit, vt Gordianum de ipso optimè meritum cùm miris artibus in odium militum adduxisset, per summum scelus interfecerit, Imperiumq. arripuerit, Anno Christi ducentesimo quadragesimo septimo. Fœdere cum Persis inito, non sine Romani nominis dedecore, ad Vrbem contendit: in itinere Philippum filiũ consortem Imperij fecit, cum quo primus ex Imperatoribus Romanis, Fabiano summo Pontifice Christianam fidem profiteri cœpit. Anno Imperij secundo, II. Cal. Maij, eo quòd esset annus millesimus Vrbis conditæ, ingenti pompa sumptuq; maximo, licet Christianus, seculares ludos celebrauit, spectaculaq; multa populo exhibuit. Scythis in ditionem Romani Imperij irrumpentibus, expeditionem contra eos parans, Marinum ducem limitis Sarmatici exercitui præfecit: quo militari seditione oppresso, Philippus Decium cum supplemento copiarum eò misit qui à militibus Illyricanis Imperator electus, datis ad Philippum clàm litteris, promisit dignitate se abdicaturum, ad quã inuitus vocaretur. Motus ea re Philippus, expeditionem contra Decium parauit, eum cum toto exercitu scelerato se perditurum minitans. Veronam cùm venißet, fraude Decij, à militibus, medio capite supra ordines dentium præciso, interfectus est. Imperij anno V. Filius itidem à Prætorianis, duodenarius, Romæ necatur.



M·IVL·PHILIPPVS·CAES·

C. MESIVS Q. DECIVS TRAIANVS, è Bubali, inferioris Pannoniæ Vrbe, clarissimis parentibus natus, ea sibi virtutis ingenijq. à prima ætate præsidia comparauit, vt ad amplissimas dignitates, non ambitione, emptisve turpiter suffragijs, sed morum bonitate, vitæq; honestate perueniret; in hoc vno vehementi reprehensione dignus, quòd Imperium Anno à Christi natiuitate ducentesimo quinquagesimo adeptus, omne crudelitatis genus in Christianos exprompsit, immanitate etiam Maximinum superans. Eius edicto multa millia Christianorum diuersis inauditisq. supplicijs trucidata sunt. Serapion, Meniacus, Abdon, & Sennen, Olympiades, Hyppolitus, cum socijs, Maximus, Polichronius, Appollonia, Victoria, Cornelius, & Sixtus Romani Pontifices, & Laurentius, in hac persecutione martyrio coronati fuere. Ad Reip. studium conuersus Decius, in Gallia ciuiles motus sedauit, cogente Senatu filium suum Decium Cæsarem fecit. Rep. patribus commendata, aduersus Gothos, qui tum prouincias Romanas ad Danubium inuaserant, cum filio profectus; pugna cum eis audacius quàm consultius commissa, insidijs circumuentus, cum toto exercitu fugatus cæsusq. est. Ipse inter densas hostium turmas elapsus, ne viuus in eorum manus perueniret, equo impulso, in voraginem paludis insilijt, ita absorptus, vt cadauer diligentissimè quæsitum reperiri non potuerit. Filius in primo conflictu etiam interijt. Vixit Decius Anno L. Imperauit cum filio ferè biennium.



IMP.CÆS.C.MESS.Q.DECIO.
TRAI.AVG.

40

en tiempo de este murio

Q. HERENNIVS ETRVSCVS MESIVS DECIVS, Decij filius, à patre ad Imperij administrationem, vrgente id vehementer Senatu, ceù collega, aßumptus, ab eoq; Cæsar appellatus, aduersus Gothos in Pannoniam, vnà cum patre profectus est. Prælio infeliciter commisso, exercituq. Romano partim cæso, partim fugato, ipse in conflictu iaculo transfixus, primus Cæsarum hostili manu percußus, interijt, imperij, quod cum patre administrare cœperat, nondum biennio completo, Romanis non minus cladem exercitus, quàm interitum duorum principum dolenter admodum ferentibus.



Q·HER·ETR·MES·DECIVS·NOB·C

C. VIBIVS TREBONIANVS GALLVS.

Patritiorum familia ortus, Mœsiæ præses à Decio constitutus, ab eo legioni Romanorum militum, quæ integra, post cladem in Pannonia à Gothis æditam remanserat, Imperator, tamquam seruator reliquiarum Romani exercitus, electus fuit, Anno post Christum natum ducentesimo quinquagesimo septimo. A Senatu Augustus appellatus, fœdus cũ Gothis turpissimum percussit, primus pacem ab eis mercatus Drachmis aureis ducentis, summa cum Romani nominis ignominia: qui cùm se formidini esse intellexißent, rupto fœdere, Thraciam, Theßaliam, Macedoniam, & Hellada infestarunt, Asia non satis fuit tuta, & ne ipsa quidem Italia. Gallus Romæ agens & in Christianos sæuiens, C. Vibium Volusianum consortem Imperij fecit. Cæterùm vbi Aemilianum ducem strenuum ab exercitu, post rem contra barbaros egregiè gestam, Imperatorem salutatum fuisse accepit, vt dignitatem suam tutaretur, ad opprimẽdum Aemilianum cum filio profectus in primo congreßu, desercntibus eum militibus suis, Aemilianoq. adhærentibus, ætatis anno xlvii. cum filio interemptus est: cùm regnaßent Annos ii. & menses viii.


IMP. CÆS. C. VIBIVS. TREBONIANVS. GALLVS. AVG.
42

C. VIBIVS VOLVSIANVS. à patre Gallo in Imperij con∫ortem a∫∫umptus, contra Aemilianum, qui ab exercitu ob rem præclarè contra Gothos actam, Imperator electus fuerat, paternæ ∫uæq. dignitatis tuendæ cau∫∫a, vnà cùm Gallo, expeditionem ∫u∫cepit. Conflictu propè Interamnam in Vmbria habito, à militibus planè derelictus, vnà cum patre interfectus e∫t, cùm nullam de ∫e malè rectève ∫cribendi materiam reliquißet: vt potè Imperio non diuturno, barbarorumq. in∫olentiæ, cum ∫umma iniuria, Romanæq. maie∫tatis indignitate, plurimùm expo∫ito.


IMP. CÆ. C. VIB. VOLVSIANO. AVG.

AEMILIANVS. ex Lybia Africæ humili genere ortus, Dux limiti Sarmatico in Moesia, à Decio præfectus, Scythas qui prouincias Imperij Romani vastabant, adortus, magna ex parte profligauit: qua occasione tantam sibi apud milites gratiam comparauit, vt eum Imperatorem salutauerint. Ad eum opprimendum, Gallus cum Volusiano filio profectus, vterq. in primo conflictu, miserè interijt. Interea Valeriano ab Alpino exercitu Imperatore nobilissimo creato; qui ab Aemiliani partibus steterant, cùm eius generis obscuritatem, Valeriani autem natalium splendorem, morumq. probitatem considerassent, ne ciuili bello Remp. conficerent, Aemilianum anno ætatis xl. apud Spoletum trucidauerunt, cùm tribus tantum mensibus imperasset.


IMP. CAE S. ÆMILIANVS. P. F. AVG.

P. LICINIVS VALERIANVS. Patre Valerio Flacco, nobilissima progenie ortus, ob eximiam vitæ probitatem, per omnes honorum magistratuumq. gradus, ad Imperatoriam dignitatem, euectus est, Anno à Christo nato, ducentesimo quinquagesimo nono. In principio Imperij magnus Christianorum fautor, postea in hostem maximumq. ecclesiæ persecutorem mutatus est. Passi fuere sub eo, Cyprianus Carthaginen. Valentinus, Quirinus, Romanus, & Concordia. At innoxij sanguinis huius vindictam postea grauem sustinuit. Nam cùm in Persidem profectus esset, Bellum Persis illaturus, ductu cuiusdam sui Ducis, cui summam rerum concrediderat, in eam locorum angustiam, siuè fraude, siuè consilio, deductus fuit, v viuus in potestatem Saporis Persarum Regis deueniret; in qua ignobili miseraq; seruitute, apud Parthos consenuit, tam .ndignè tractatus; vt Rex Sapores, equum conscensurus, pedem ceruicibus eius imponens, eo pro scabello vteretur; eumq. ad extremum, cute à ceruicibus, ad imos vsquè pedes detracta, crudelißimè necauerit. Vixit annis lxx. Regnauit xi.


IMP.C.P.LIC.VALERIANVS.AVG.

P. LICINIVS GALLIENVS. Valeriani imperatoris filius, Valeriani Iunioris *frater, adolescens optimis artibus excultus, ab initio Cæsar, postea à patre Augustus appellatus,* Imperij *curam suscepit. Cæterum capto à Persis patre, cùm multi eius infortunio ingemiscerent, ipse propter viuendi licentiam exhilaratus, adeò se totum vino, mulierculis, popinis, lenonibus, ac mimis dedit, vt* Caligulæ *ac Vitellio simillimus videretur. Vnde factum est, vt* Imperium *per xxx. Tyrannos inuaderetur, & tot tantisq. ciuilibus bellis, hinc inde ortis, miserrimè discerperetur.* In *Principe qui in luxu, socordia & omni turpitudinum voluptatumq. genere volutabatur, affuisse quandoq. animi vigor quidam (quod valdè mirandum est) & audacia perhibetur: à liberalitate quoque commendatur, quòd nihil vnquam petenti denegauerit.* In *Christianos paulò mitior fuit. Comparato exercitu, cùm aduersus Aureolum expeditionem suscepisset, eundemq. propè victum, Mediolani obsedisset, a suis, Aureoli commento, vna cùm fratre Valeriano, est interfectus. Anno ætatis quinquagesimo,* Imperij *decimo quinto.*



IMP.C.P.LIC.GALLIENVS.AVG.

46

SALONINVS VALERIANVS. Licinij Gallieni & Saloninæ filius, vel ab ea, vel quòd apud Salonas natus eßet, Saloninus vocatus; à patre in locum Cornelij Valeriani, filij sui, in iuuenta mortui, subrogatus est. Nihil memorabile de illo scribitur: vt qui puer decennalis à Gallis non tam sua, quàm patris causa, interemptus fuerit.


SALON·VALERIANVS.CÆS
47

M. CASSIVS LATINEVS POSTHVMIVS.
Vir Romanus in omni vita adeò grauis, vt Gallienus filium ſuum ei inſtituendum tradiderit. Quotquot ſuo tempore Tyranni Romanum Imperium affectabant, omnes virtute req. militaris peritia facilè ſuperauit. Cum Gallienus luxui popinisq. deditus, abiectus contemptusq. ab omnibus haberetur, hic à Gallis cum omni exercitu, Imperator electus, præclarè ſe in eo munere geſſit. Gallia prouincia inſtaurata, & exactis Germanis, ſecuritati priſtinè reſtituta, cùm in ea decem annis regnaſſet, à Gallis nouarum rerum cupidis, procurante id Lolliano, vnà cùm filio ſuo, interfectus eſt.



IMP·C·M·CASS·LAT·POSTV-
MVS·AVG. 48

FLAVIVS CLAVDIVS. à Dalmatis, vel vt alij volunt è Dardanijs ortus, vir integritate vitæ, morum grauitate, militaribusq. virtutibus, maximè clarus, Gallieni morientis sententia. Imperator designatus, à Senatu Augustus appellatus fuit, Anno post Christum natum, ducentesimo septuagesimo quarto. Accepto Imperio, cùm in Senatu variarent sententiæ, vtri prius bello occurreret, Tyrannorum an Gothorum, cùm Gothos censuisset prius aggrediendos, quòd hi Reip. totius, Tyranni autem Principis tantum hostes essent, tam vehementi prælio eos adortus est, vt post insignem victoriam, apud Danubium de illis habitam, ad Senatum litteras ijs verbis conscripserit. Deleuimus trecenta viginti millia Gothorum, duo millia nauium submersimus. Tecta sunt flumina scutis, spatis & lanceolis littora omnia operiuntur; campi ossibus latent tecti, nullum iter purum e fœtore cadauerum. Omnes prouinciæ seruis, captiuisq. Gothorum scatent. Romam triumphans ingressus Gothicus appellatus est: leges optimas tulit, in malos animaduertit. Princeps ob egregias animi dotes, vita longiore dignus, cùm in morbum incidisset, eo ingrauescente, nulla sobole relicta, maximo omnium luctu, cùm duobus tantum annis regnasset, mortuus est. Senatus in Capitolio ei statuam auream collocauit. Digitis adeò fortibus fuisse scribitur, vt sæpè equis & mulis ictu pugni dentes excusserit.


DIVO.CLAVDIO.GOTHICO.

QVINTILLVS. *Claudij Imperatoris frater, morum suauitate, bonitateq. illi nihilo inferior, ob egregias virtutes, post mortem fratris, à Senatu Cæsar Augustusq. appellatus est. Postquam intellexit Aurelianum ab exercitu Imperatorem creatum, cum se longè imparem videret, vt eius ducis conatibus obsistere poßet, qui tanto militum consensu fuerat ad eam dignitatem aßumptus, ignominiæ metu ductus, venas sibimet incidit, & voluntariè, duobus liberis relictis, decimo septimo Imperij sui die occubuit. Nonnulli affirmant à militibus facta conspiratione interemptum, quibus se duriorem exhibuerat.*



IMP. CÆS. QVINTILLVS. AVG.

AVRELIANVS. *in Pannonia Sirmiensi, familia obscuriore, vel vt alij volunt, patre mediocri, Aurelij Clarissimi senatoris colono, inter Daciam & Macedoniam natus, à pueritia ocij impatiens, adultior in re militari ita versatus, vt vna die bello Sarmatico, quadraginta octo, pluribus autem diebus, nongentos hostes propria manu interfecerit. Sortitus diuersos Tribunatus, Liberator Illirici, Galliarumq. restitutor dictus est. A Valeriano Consul designatus Gothos fudit. Anno Christi ducentesimo septuagesimo sexto Imperator à militibus electus, à Senatu Augustus appellatus, Sueuos, Sarmatas, Marcomannos superauit. Auctis Vrbis mœnijs eiusq. statu composito ad Orientem proficiscens, in Thracia, Illyricoq. Barbaros prostrauit, Bithyniam recuperauit, Thyanam & Palmyram expugnauit. Zenobiam, quę Imperium affectabat, apud Emesam magno prælio vicit: Tetricum in Gallis Imperatorem creatum, sponte se cum exercitu tradentem suscepit, eumq. ac Zenobiam ducens, speciosissimum Romæ triumphum egit: leges plurimas & salutares sanxit: militum delicta magna seueritate correxit. Populo dona distribuit: Templum Solis fundauit: Pontifices roborauit: contra Christianos persecutionem mouit. Per Illyricum contra Persas pugnaturus iter faciens, apud Zenophorium inter Heracleam, & Byzantium, malitia notarij sui, interemptus est: alij fulmine percussum interijsse scribunt, cùm imperasset annis IIII. mensib. XI. Diebus VII. Imperator, propter saueritatem & truculentiã magis hostibus profligandis necessarius, quàm bonus: Eo mortuo fuit interregnum mensib. VII. Dierum XXIIX.*



IMP. C. AVRELIANVS. AVG.

M. CL. TACITVS. Vir ordinis Senatorij, post aliquot mensium Interregnum, quo milites ad Senatum, Senatus verò ad milites, Imperatoris eligendi munus, reijciebat, inuitus & senectute valetudineq. se excusans, Anno à Christo nato, ducentesimo octuagesimo primo, Imperator eligitur à Senatu; qui cùm neminem, aut iustius quàm grauem virum, aut prudentius, quàm doctum imperare posse censuisset. Tacitum, vtpotè dotibus ijs ornatum, hoc loco dignissimum iudicauit. Assumpto Imperio ex sententia Senatus, omnia Reip. commoda procurauit. Pecuniam *quam domi collegerat, in stipendium militum erogauit: domum suam demolitus, Thermas publicas priuato sumptu construxit. Cornelium Tacitum, Scriptorem historiæ Augustæ, parentis loco habuit; & eius historiam in omnibus bibliothecis collocari iussit; &, ne neglectorum incuria deperiret, Librum per annos singulos decies scribi publicitus in ciuicis archijs iussit, & in bibliothecis poni. Princeps litteris adeo deditus, vt nullum diem, in quo non aliquid scriberet, aut legeret, intermittere voluerit. Sic, cum Tacitum Imp. Interamnæ natum, quæ ciuitas vetustissima, & nobilissima, est in Sabinis, constet, ex Flauio Vopisco, in vita Floriani; qui Interamnam solum patrium Taciti, & Floriani, nominat; Tacitum item historicum Interamnatem fuisse, facile licet coniicere. Sed obiter aliud etiam dicam, a nemine, quod sciam, hucusque animaduersum. Etiam Sallustiū, Romanæ historiæ scriptorem, Interamnatem fuisse, omnino putat Aldus Manuccius. Idque, quod videat, Petrum Crinitum scribere, Sallustium Amiterni natum, in agro Sabino; deceptum certe ex illo, Terni, quæ sunt extremæ litteræ Amiterni. Terni autem vulgare nomen Interamnæ est, in Sabino agro; Amiternum vero, cuius ex reliquijs Aquila ciuitas exstructa, in Aprutino. Sallustiam vero Familiam Sabinam fuisse, testatur antiqua tabella, apud Fuluium Vrsinum; in qua Sallustiæ Sabinæ mentio est, nam, quamuis Sabina cognomen sit, manauit tamen cognomen a regione. Sic Interamna, Illustris Ciuitas, duorum Imperatorum, duorum item illustrium Historicorum, natali gloriari potest. Vita fuit parcissima: tunicis ijsdem in Imperio vsus quas priuatus deferebat. Aureliano statuam auream dedicauit, & inter Diuos retulit, occisores eius interemit. Insidijs militaribus necatus, vel, vt alij tradunt, febre correptus interijt. Imperij Mense 6. die 20. Aetatis anno 76.*


IMP. C. M. CL. TACITVS. P. F. AVG.
52

LIII.

M. ANNIVS FLORIANVS. Taciti Imp. frater germanus, Interamnæ natus, quod a Fl. Vopiſco, & ab alijs, ſcriptum eſt; in qua ciuitate duobus hiſce Imperatoribus cenotaphia conſtituta fuiſſe, in ſolo patrio, idem ſcribit; quæ ſunt imaginaria ſepulcra, ſiue potius, a Græco vocabulo, Inania, & honoraria. Viſebantur non multos ante annos hæc Cenotaphia Interamnę, *extra portam, quæ* Spoletum *ducit, quę trium Monumentorum porta dicebatur, quod erat & aliud Monumentum Probo Imp. dicatum. Erantque proxima ſuburbanis hortis vetuſtiſſimę, & ampliſſimę, Caſtellenſis Familię, quę inter Vmbras primaria, eius ciuitatis per multa ſecula principem locum obtinuit; ex qua prȩter innumerabiles proceres & heroes, tum belli, tum pacis, temporibus maxime illuſtres, quos enumerare nimis longum eſſet, neque huius loci eſt, neque huius temporis; fuit* S. *Anaſtaſius, Ciuitatis Epiſcopus, & patronus; qui, ſub Totila Rege Gothorum,* Iuſtiniano *Cȩſare, &* Ioanne II. *Pontifice, anno Domini D XXXVI. cum* S. Proculo, *& ipſo* Interamnate, *cuius corpus Bononiæ eſt, floruit. Huius* S. *Anaſtaſij Caſtelli corpus cum diu latuiſſet, anno C ∞ XXXIX. Lothario in* Italia *regnante, Leone VII. Pontifice, repertum eſt. Hic Florianus, mortuo fratre,* Imperandi *ſe adeo cupidum oſtendit, vt nec* Senatus, *nec militum, ſed propria auctoritate, quaſi hȩreditarium eſſet* Imperium, Principatum *arripuerit; in quo nihil memorabile geſſiſſe perhibetur; cum id non diuturnum fuerit. Nam poſteaquam intellexit* Probum *regnare, quem exercitus, tamquàm virum* Imperio *dignum, elegerat, cùm ſe tuto nullibi conſiſtere poſſe animaduertiſſet, manus ipſemet ſibi iniecit, venisque ſolutis occubuit;* Imperij *ſui menſe .... Die xx.*


IMP. C. M. AN. FLORIANVS. P. F. AVG.
53

PROBVS è Syrmio Pannoniæ oriundus, patre Maximo Tribuno, matre nobiliore, mediocri matrimonio, illud pacis belliq. artibus consecutus est, vt si Probi nomen non habuisset, verè sibi cognomen hoc dari potuerit. Multa sub Valeriano & Decio Aurelianoq. fortia gessit: militibus valdè acceptus, ab omni Orientali exercitu Imperator est electus Anno Christi ducentesimo octuagesimo secundo. A Senatu nomen Cæsaris, & Augusti & patris patriæ, Proconsulare Imperium cum Pontificatu Maximo, accepit. Gallias cum LX ciuitatibus à Germanis occupatas recuperauit: Reges nouem ad pedes prostratos vidit, obsidumq. loco, XVI. millia tyronum accepit: Gothos in Thracia ita terruit, vt eos vel in deditionem vel in amicitiam reciperet. Siciliam & Isauriam latrocinijs purgauit; Romam reuersus triumphum multaq. spectacula edidit. Tyrannos Imperio inhiantes, omnes planè sustulit. Tandem in bellum Persicum iter parans, celebri illa voce, qua innuebat, Annonam gratuitam militem comedere non debere, cùm odium maximum apud milites, sibi comparasset, quod eos toto ferè orbe subiugato, vbi hostes deessent, amplius iam necessarios minimè fore iactitasset, apud Syrmium in turrim ferratam fugiens, ab eisdem occisus est, Imperij Anno V. Mense.


PERPETVO.IMP.C.PROBO.A.

M. AVRELIVS CARVS. Narbonæ genitus, vel vt alijs placet, Romæ, ibiq. in litteris educatus, per militares gradus ascendens, à Probo præfectus Prætorio, eo interfecto, Imperator à militibus creatus est, Anno à Christi natiuitate ducentesimo octuagesimo octauo. Inito Principatu, in percussores Probi seuerissimè animaduertit. Liberis suis, Carino & Numeriano, Cæsaribus nuncupatis, bello Persico, quod Probus susceperat, continuando intentus (cùm Sarmatiam iam in Pannonia confecisset, & sedecim Barbarorum millia deleuisset, viginti cepißet) recepta Mesopotamia, Ctesiphontem peruenit, Persas inter se domestica seditione laborantes repperit. Castris super Tygridem positis, in maxima rei bene gerendæ expectatione, ictu fulminis interijt; cùm anno vno & aliquot mensibus imperium administraßet.


DIVO . CARO . PIO .



M. AVRELIVS ROMVLVS. NVMERIANVS. Cari Imperatoris filius, Poeta & Orator celeberrimus, statua in Bibliotheca Vlpiana ex S C. decoratus, comes patris in bello Persico fuit: à militibus Populoq; Romano Imperator salutatur Anno à Christo nato ducentesimo nonagesimo. Patre è viuis miserabili casu sublato, in tantum mœrorem luctumq; incidit, vt oculis propter lacrymarũ vim penè amissis, cùm Romam ex Asia victor rediret, lectica eum deferri oportuerit. In ea sedentem, clàm Aper eius socer, Imperij consequendi spe adductus, interfecit: nec prius quàm cadaueris fœtore scelus detectum fuit: quod Diocletianus, irruens in Aprum, eumq. confodiens, egregiè vltus est. Fuit Numerianus frugi iuuenis, ingenioq. ad omnem modestiam composito. Fertur tamen Antiochiæ Cyrillum Episcopum manu propria interemisse, quòd eum templum Christianorum ingredi cupientem, aditu vir sanctus probiberet, dicens; diuinorum mysteriorum aspectu eum indignum esse, qui idolorum sacrificijs contaminatus, in tanta erroris caligine versaretur. Imperauit Numerianus cum patre & fratre, Annum vnum Menses . ....

IMP. C.NVMERIANVS.AVG.

CARINVS, alter Cari Imperatoris filius, à Patre contra Persas proficiscente, cum Gallias, Hispanias, Britanniam, totumq; ferè occidentem, cum Italia atque Illyrico in administrationem suscepißet; tam enormibus vitijs, ingentiq. fœditate se contaminauit, vt pater turpitudine scelerum eius audita, non esse suum filium proclamauerit, & si superuexisset, nomine Cæsaris illi abrogato, in eius locum Constan tium subrogare cogitauerit. Post patris & fratris interitum, etiam liberius insaniјt. Optimis quibusq. relegatis, homines libidinum suarum ministros, ad magistratus dignitatem prouexit, Vxores ducendo & reijciendo, nouem habuit: prægnan tes expulit. Mimis, meretricibus, lenonibus, & id genus hominum monstris, Palatium impleuit, eisq. plurimum detulit, Fastidium subscribendi diplomatibus tantum habuit, vt officium hoc impurissimo homini cuidam, qui manum eius benè imitabatur, demandauerit. Matrimonia nobilium corru pit. Non defuit ei tamen ad vindicandum sibi Imperium vigor mentis. Nam contra Diocletianum, quem ab exercitu in Perside Imperatorem electum audiuerat, multis prælijs conflixit; sed vltima pugna apud Murcium commissa, occubuit. Nonnulli scribunt eum, eius præcipuè Tribuni dextera, cuius dicebatur coniugem poluisse, trucidatum: posteaquam cum patre & fratre duobus annis imperio præfuißet.


IMP.CARINVS.P.F.AVG.

DIOCLETIANVS. *Salonis Dalmatiæ, patre libertino Anulini Senatoris, matre Dioclea, vtrisq. ignobilibus natus, Diocles antea vocatus, successu dignitatum, cùm Arrium Aprum, Imperium affectantem, sua manu confodisset, ob idq. eo exercitu Imperator electus esset, Græco nomine ad Romanum morē conuerso, Diocletianus vocari voluit. Profligato & cæso Carino, Augustus appellatus, Anno post Christum natum ducentesimo nonagesimo, à S. P. Q. R. magnis honoribus exceptus est, propter singulares animi dotes, atq. militaris peritiam, prudentiam, morumq. suauitatem. Pluribus vndiq. Tyrannis in Gallijs, Britannia, Aegypto atq. Italia insurgentibus, vt pacem citius vbiq; redderet, Maximianum consortem Imperij fecit, cum quo tanta concordia Imperium administrauit, vt alter alteri numquam repugnauerit. Diocletianus Iouius; Maximianus Herculius, appellati sunt. velut ille Iouis, hic Herculis in perferendis laboribus pares. Pullulantibus per varia loca, nouis bellis, Diocletianus Galerium Maximinum, Maximianus Constantium Chlorum, pari consensu Cæsares fecere. Diocletianus in Aegypto ex Achilleo Tyranno, in oriente, ex diuersis plurimas nactus victorias, aureo gemmatoq. curru Romæ triumphauit: more Regum Persarum adorari voluit, pedesq. exosculandos omnibus sinè generis discrimine exhibuit, idq. edicto sanxit. Thermarum in Vrbe opus admirandum inchoatum, omni cultu perfecit: in Christianos maximè sæuijt, omnes penitus extirpare cupiens: hinc illa maxima & vltima persecutio, quā iste in oriente, Maximianus in Occidente, aduersus veros veri Dei cultores instituerat: Senio confectus se Imperio abdicauit: Nicomediæ fasces, deposuit, cùm xx. annis imperasset. Priuatus Salonis in patria mansit: decennium rei rusticæ intentus: à Constantino & Licinio ad nuptias Constantiam euocatus, cùm se per senectutem excusaret, & Imperatores excusationem nō admitterent, suspectās necem dedecorosam, quod fuisset Maxentio & Maximino, veneno hausto, occubuit, ætatis anno lxxviij.*

DN.DIOCLETIANO.BEATISSM.° SEN.AVG.

H

MAXIMIANVS. cognomento. Herculius ex Pannoniæ Syrmio, vbi pater eius opera exercuit mercenaria oriundus, à Diocletiano consors Imperij adscitus, probè se ei submisit, in omnibusq́, obtemperauit: vir alioquin natura ferus, ardens libidine, consilijs stolidus. Tumultus in Gallijs mira celeritate compressit: In Africa Gentianos deuicit: bellis nouis exurgentibus iste Constantium Chlorum, Diocletianus vero Galerium Maximinum Cæsares fecerunt, & præter adoptionem, etiam affinitate iunxerunt. Rebus vndique compositis post annorum viginti Imperium, cùm vir cruentissimus Christianos multos impiè trucidasset, quemadmodū Diocletianus Nicomediæ; ita hic Mediolani principatū deposuit: cuius eum rei paulò post pænituit. Nam audiens filium suum Maxentium à Prætorianis Imperatorem electū, à Lucania, in qua sedem priuatus elegerat, spe resumendi Imperij, ad Vrbem se contulit, simulans filio fore auxilio. Tumultu militari excitato excessit: in Gallias profectus, genero Constantino insidias parauit, vt eum Imperio deturbaret. Sed per Faustam Vxorem, quæ patri maritum prætulit, detectæ sunt. Eum Constantinus apud Massiliam obsessum viuum cæpit, & fractis laqueo ceruicibus occidi iussit, Anno ætatis Sexagesimo.


IMP.MAXIMIANVS.AVG.
59

CONSTANTIVS CHLORVS. Ex patre Eutropio nobili Romano, matre Claudia, Claudij Augusti filia genitus, propter spectatam virtutem, à Maximiano & Diocletiano, vnà cum Maximino Cæsar creatus fuit. Cæterum cùm Dioclitianus Maximianusq. Imperio sponte renunciassent, cum Maximino prouinciarum administrandarum curam partitus, licet ei Galliæ, Hispaniæ, Italiaq. cum tota Africa obtigisset, cùm se vnum tanto oneri ferendo imparem videret, Galliarum tantum administrationem suscepit, quam Germanis Francisq. profligatis, bonis legibus optimisq. institutis rexit. Britanniam subiugauit. Princeps benignus, ac facilis, atq. ad promerendam subditorum sibi populorum gratiam, mirè propensus, à Christiana Religione non abhorruit. Diuitiarum spretor, & paucis contentus, fictilibus vasis vtebatur; argentea, vt abacum exornaret, ab amicis interdum mutuò accipiebat. Eo regnante, in Hispanijs, Gallijs, & Alpibus, nulli motus fuere; & hostes Populi Rom. ab armis cessauere. Anno Imperij xiij. Eboraci in Britannia morbo consumptus occubuit, relictis liberis ex Helena, Constantino Magno, ex Theodora verò Maximiani priuigna, Anaballiano, Constantio patre Iuliani, ac constantia Licinij Imperatoris vxore.

CONSTANTIVS·NOB·CÆS

63

GALERIVS MAXIMINVS, in Dacia Ripensi parentib. agrarijs ortus, ex pastore ouium vndè cognomen Armentarij traxerat, miles adeò strenuus euasit, vt à Diocletiano adoptatus, & Cæsar factus sit. Ad orientem pacandum, contra Narseum profectus, primùm infeliciter, deinde prosperè pugnauit. Augustus factus, Seuerum, & Maximianum Cæsares adoptauit. Seuero mortuo, Licinium ei successorem dedit. Romam contra Maxentium cùm mouisset, defectione militum cognita, in Illyriam redijt. Homo sanguinarius, & Christianorum persecutor crudelissimus, in morbum incidit; & vlcere inguinibus innato, virilia exedente, vermibus vndiq. erumpentibus, remedijs deficientibus, cùm nullus medicorum ei manus admouere auderet, metuens ne à sæuissimo principe occideretur, miserè interijt, cum solus regnasset Annos II. cum Cæsarib. autem & Imperij consorte Annos xvi. Simulacrorum cultui fuit, vsque ad superstitionem deditus: delicijs & luxu difluens, nullam Vrbem sinè adulterijs, & stupris incōtaminatam relinquebat, homo alioquin rei militaris gloria illustris, verùm sæuitia in Christianos crudelis. Vndè cùm in morbum tam crudelem incidisset, suspicatus ob sæuitiam in Christianos id perpeti, decreta contra eos reuocari, & ad se accersiri iussit, vt pro salute principis orarent. Sed pro truculento homine, qui fortasse ad solitam crudelitatem redijsset, piorum preces non valuere. Itaq; turpissima, crudelissimaq. morte, vt dictum est, perijt.



GAL·VAL·MAXIMIANVS·NOB·CÆS

MAXIMIANVS. vero nominè DAZA dictus, ex sorore Galerij Armentarij progenitus, ab eodem vnà cum Seuero adoptatus, Cæsar quadriennio, dehinc per Orientem Augustus triennio fuit. Cùm esset ortu atq; instituto pastorali, animo tamen & moribus nihil agreste præ se tulit. Sapientissimi cuiusq; cultor, amator litterarum, ingenio miti, & quieto: vini tamen auidior, quo inflammatus iubebat quædam asperius: & cùm eum sæpius facti pœniteret, deinceps in sobrium matutinumq. tempus omnia differebat. In Oriente contra Christianos maximè desæuijt. Cùm aduersus Licinium, res nouas moliretur, rupto fœdere, cum filijs, quos iam socios Imperij aßumpserat, oppreßus est: exercitu partim deleto, partim fugato, ipse abiectis Imperij insignibus, fugitiuus se turbis colonorum immiscens, in agris latuit, & ne viuus caperetur, se strangulauit Tarsi, cùm imperasset Annis vij.


IMP. MAXIMINVS
P. F. AVG. 62

SEVERVS. *magis seueritate, quam exercuit in Christianos, quàm generis nobilitate, aut rerum benè gestarum gloria notus; à Galerio vnà cùm Maximiano Cæsar & Augustus dictus est. Africæ, Italiæq; præfuit. Interea in Vrbe Prætoriani Maxentium, Maximiani Augusti filium, per seditionem Imperatorem crearunt: Contra eum Seuerus cum exercitu profectus, Romam cinxit obsidione: sed à militibus paulò post desertus, qui in partes Maxentij concesserant, cùm in præsens periculum se adductum videret, in Illyricum fugere, viribus impar, coactus est. Tandem Rauennæ captus, à militibus, quos ipsum insequuturos Maxentius miserat, miserè interfectus est, Anno Imperij ij.*


FL·VAL·SEVERVS·NOB·CÆS·
63

MAXENTIVS. Maximiani Herculei ex Eutropia Syra filius. quem alij arte muliebri suppositum ferunt, quò charior esset marito, à Prætorianis, non abnuente Senatu, imperator creatus, asperitate patri, sæuitia Domitiano & Commodo simillimus fuit: Imperium, non vt Augustus, sed vt Tyrannus exercuit; Plurimos senatorij ordinis viros interemit. Magicæ arti in tantum deditus, vt plurimas mulieres grauidas aperuerit, & infantes eximens atq. trucidans vt euentus suos prænosceret, in venis eorum vocem inquisiuerit. Formosos itidem adolescentes cultris aperiens, ex eorum extis vaticina diuersa rimatus est. Stuprandis mulieribus, vsq. ad insaniam addictus; cuius nefandam libidinem Christiana Sophronia, Vrbis præfecti coniux pudicissima, vt euaderet, cum à lenonibus præstolantibus ornandi tempus impetrasset, ingressa cubiculum sibi manus iniecit: quo exemplo Maxentius plures appetere non est deterritus, sed magis accensus In Christianos omne genus crudelitatis exercuit: bona priuatorum multa diripuit, noua vectigalia inuenit, in occidendo, & omni via exigendo pecunias, inexorabilis factus, odio haberi cæptus est. Quam obrem Romani nobiles per clandestinos nuncios Constantinum, qui in Gallijs imperabat, euocandum curauere, quò Vrbem Tyrannide liberaret: qui cùm multis prælijs Maxentij conatus plerisq. in locis, præsertim in foro Iulij fudisset, ad extremum circa pontem Miluium; Crucis vexillo cælitùs ostenso Maxentium ita superauit, vt deletis copijs fugiens Tyrannus, in Tyberim insiliret, & gurgitibus absorberetur: vt ne cadauer quidem ipsius reperiri potuerit. Imperauit annis VI.


MAXENTIVS.P.F.AVG.
64

LICINIVS. parentibus agricolis in Dacia natus, ibique educatus, in malitiæ disciplinam profectus, bello contra Narseum rem armis adeò feliciter gessit, vt Galerio Maximino hoc nomine charissimus fuerit, & mortuo Seuero, consors Imperij factus sit. Primò Illyrijs præfuit, postea in Oriente Maximiano fugato, ob victoriam insolens atque superbus effectus, Constantinum contemnere, & in Christianos maximè sæuire cœpit. Constantinus cùm monitis apud Licinium nihil proficeret, collecto exercitu, bello eum adortus, in Pannoniæ campis fudit: vires reparantem, incredibili celeritate, ex Europa in Asiam expulit, in Bithynia propè Nicodemiã grauissimo conflictu superauit, & fugientem persecutus, vt Imperio renunciaret, modò non coegit. Tandem per Constantiam eius vxorem, Constantini gratia vtcunque recõciliata, cùm rebelles animos nihilominus retineret, à militibus Thessolonicæ interfectus est, anno ætatis lx. Imperij xiiij. Homo libidini, auaritiaque deditus, omnis humanitatis expers: litteris adeò infensus fuit, vt eas venenum & pestem Reip. nominaret, indignus beneficio litterarum, quibus nomen eius orbi innotescat: nisi fortè indè celebrandus sit, quòd militię custos ad veterum instituta seuissimus, spadones & aulicos, tineas soricesque Palatij appellare consueuerat.


IMP. LICINIVS. AVG.

MARTINIANVS. antea officiorum magister, obscuri nominis homo, à Licinio, Constantinum fugiente, Byzantiumque perueniente, Cæsar creatus; & dignitatem, & vitam breui amisit. Nam cum Licinio Thessalonicæ captus, vnà cum eo, iussu Constantini, à militibus interfectus est.




D.N. M. MARTINIANVS. P. F. AVG.
66

CONSTANTINVS MAGNVS, patre Constantio Pio, matre Helena in Britannijs natus, sub Galerio rudimenta militiæ felicissimè auspicatus, vltrà ætatẽ Sarmatas profligauit, ducemque eorũ catenatum Galerio adduxit. Gliscentẽ inuidiam veritus, profugit ad patrem, eoq; mortuo, Gallias, Hispanias, & Cottias Alpes Cæsar obtinuit. Accersitus in Italiam, deuicto, per crucis, vocisq; cælitus delapsæ, indiciũ, ad pontem Miluium, Maxentio, non modò Vrbem tyrannide liberauit, sed post tot tantasq; Christianis intentatas persecutiones, Ecclesiæ Dei pacem quietemque fundauit, abnegato idolorum cultu, Christianæque Religionis veritate suscepta. Bella contra barbaros multa felicissimè cõfecit, vnde et MAGNI cognomen meritò obtinuit. Laudis vltra quàm æstimari potest, auidior fuit. Leges sanctissimas tulit: studia litterarum vehementer coluit, & earum amatores libentissimè promouit. Nicænam Synodum, contra Arrium Photinum, Sabelliumque & sequaces eorum Hæreticos, à trecentis decem & octo patribus, post annum Christi trecentesimum vigesimum celebratam, auctoritate sua fouit. Templa multa construxit, donisque ornauit. Byzantium instaurauit, à suoque nomine Constantinopolim dici voluit, eò Imperij sui sede translata. Senex Persis Mesopotamiam diripientibus bellum indixit, ac copijs coactis, Sotiropolim vrbem petijt, vt aquis calidis senile corpus foueret: sibi pharmacum à medicis porrectum, & à ministris quibusdam clàm veneno corruptum, cùm ebibisset, Anno ætatis LXVI. Imperij vero trigesimo, mense decimo, extinctus est. Corpus Constantinopolim regali pompa deductum, ibidem in templo Apostolorum sepultum est. Princeps omnium seculorum memoria dignissimus.


CONSTANTINVS.MAX.AVG.
67

IVLIVS CRISPVS. *Constantini Magni, ex Mi neruina filius à patre Cæsar appellatus, ea fuit corporis pulchritudine venustateque præditus, vt eius amore Fausta Con stantini vxor vehementer inflammata, sæpius eum ad libidinem sollicitauerit: cui cùm ille assentiri nollet, Fausta amorem in odium commutans, eum tamquam pudicitiam suam expugnare volentem, ad maritum detulit. Constantinus fidem vxori adhibens, Crispum ad Polam Histriæ oppidum interfici iussit. Cæterùm vbi innocentiam filij & vxoris fraudem cognouit (quæ hac occasione Crispum è medio tollere voluit, ne suis liberis impedimento foret, quo minus imperio potirentur) Faustam Helenæ matris instinctu, quæ nepotis mortem innoxiam grauiter admodum ferebat, in ardens balneum inijci mandauit, in quo extincta, dignas, quæ tanto sceleri debebantur, pœnas subijt.*

IVL. CRISPVS. NOB. CÆS.

CONSTANTINVS IVNIOR. post obitũ Constantini Magni patris sui, facta diuisione Imperij, Gallias, Hispanias, Alpes, Cottias, Britanniasque obtinuit. His tamen non contentus, cùm Italiæ, Africæque ius, ad se pertinere vellet, cum fratre Constante, per legatos primùm, de noua diuisione prouinciarum facienda, tractauit: cumque hac ratione & multis querimonijs nihil proficeret, bellum fratri intentauit, collectoque exercitu, regiones fratris depopulatus, Aquileiam vsque peruenit. Hic copias Constantis, qui tum in Sarmatia aduersus Gothos dimicabat, offendit: quas cùm ille contemneret, & viribus suis magnoperè fideret, incautus, fœdeque temulentus, cum illis congressus est. Equo cui insidebat vulnerato, cum in terram decidisset, à militibus circumuentus, humi iacens, sinè purpura, incognitus, multis ictibus confossus, turpiter interijt: corpus in fluuium cui nomen Alsa, haud longè ab Aquileia, proiectum est. Vixit annis xxv. imperauit non toto triennio.

CONSTANTINVS·IV·NOB·C·

67

CONSTANS. mortuo patre Constantino Magno, Italiam, Africam cum insulis, Illyricum, Dalmatiam, Macedoniam, & Achaiam sortitus, cùm fratrem Constantinum bello superasset, interemissetque, Galliam intra biennium in potestatem redegit. Princeps initiò strenuus & iustus, postea animum ad delicias flexit: ex quibus in articulorum dolores incidit, factusque est adeò difficilis, morosus, prouincialibus grauis, & militibus illiberalis, vt ab illis diutius tolerari non potuerit. Quamobrem conspiratione in eum facta, Magnentio ab exercitu Imperatore salutato, percussores ad Constantem missi sunt: qui eum venatione fessum, intra tentorium quiescentem, & nihil tale cogitantem, ad Helenam oppidum, Pyreneo proximum, interfecerunt. Dicunt alij cum vigilem cognouisse parricidas, abijsse in proximum tẽplum, Imperij signa deposuisse, ab altaribus nihilominus tractum, occisum fuisse. Vixit annis xxx. Imperauit xiij.


D N. CONSTANS.P.F.AVG.
70

CONSTANTIVS. patre Constantino Magno, matre Fausta prognatus, in mortui Crispi locum Cæsar suffectus, princeps bellis ciuilibus felix, patiens laboris, mirusq; in sagittis iacendis artifex fuit. In diuisione Imperij, Oriens, cum ipsa Regni sede Constantinopoli, ei cessit. Fratris Constantis cędem vlturus, Gallo Cæsare creato, Orientique præfecto, aduersus Magnētium exercitum mouit, ex eoque ad Mursiam insignem victoriam, licet non incruentam, reportauit. Nam eo prælio vtrinque 53. millia desiderata sunt. Gallum à se antea Cæsarem dictum, & propterea insolescentem interfecit; cumque fratrem eius Iulianum, tres & viginti annos natum, in locum illius assumens, aduersus Alemannos, Gallias vastantes, misisset, & eum, post res feliciter gestas, ab exercitu Augustum appellatum didicisset, indignatione motus, bellumq; ciuile contra Iulianum apparens, et rebus Parthicis nihilominus occupatus, in febrim incidit, & ad radices Tauri montis apud Mopsocrenem. Anno Imperij xxiiij. ætatis vero xl. mortuꝰ est. Homo Arrianæ impietati addictissimus, ob idque Athanasio Alexandrino Episcopo, & Catholicis omnibus infensissimus.


D N.CONSTANTINVS.P.F.AVG.
71

MAGNENTIVS. obscuris in Gallia parentibus motus, à Constante enutritus, in tantumq; ob virtutem bellicã, ab eo adamatus fuit, vt exerto in Illyrijs tumultu, cùm iamiam à militibus occidendus esset, Imperator eum paludamento obtexerit, atque seruauerit. Gratitudinis loco, quam suo seruatori debebat, Constanti dolos rependit; eoque interfecto, malis artibus imperium; anno post Christum natum, trecentesimo quinquagesimo tertio, adeptus est. Veniens in Italiam cum exercitu, Mediolani fratrem suum Decentium Cæsarem fecit, quem trans Alpes, ad tutandas Gallias misit: ipse cum Constantio, qui fratris Constantis cædem vlciscebatur, ad Mursiam congressus, magna clade superatus est: collectis exercitus reliquijs, cùm pacis conditiones frustra per legatos tentasset, & Ducis tantum titulum petijsset, iterum cum Constantio conflixit. Victus Lugdunum aufugit: vbi cùm se tuto non posse consistere, seque custodiri animaduertisset, gladio occultè prouiso, ictum pulsu parietis iuuans, transfosso latere (vt erat vasti corporis) vulnere, naribusque & ore cruorem effundens, Mense Imperij 42. ætatis anno 50. expirauit. Vir legendi studio promptus, sermonis acer, animi tumidi, & immodicè timidus, artifex tamen, ad occultandam audaciæ specie, formidinem.


DN·MAGNENTIVS·P·F·AVG
72

DECENTIVS. Magnentij frater, vel ob rerum cũ laude gestarum paucitatem, vel ob temporis, quo ad eum dignitatis gradum, vocatus fuit, breuitatem, nihil habet in vita memorabile. Mediolani à fratre Cæsar creatus, ad tuendas Gallias cum exercitu trans Alpes missus est: Simul vt nuncium accepit, de miserabili fratris interitu, partim vitæ huius tædio, partim metu, ne in manus eorũ, qui à partibus Constantij stabãt, perueniret, adductus, laqueo fasciæ ad collum posito, semetipsum apud Sennonas strangulauit.


DN·DECENTIVS·FORT·CÆS·

IVLIANVS. *Apostata patre Constantio, Constantini Magni fratre, matre Basilina genitus, ingenio sublimi & callido, puer ab Eusebio Nicomediæ Episcopo, instructus, Christianam religionem amplexus est: deinde Libanio Rhetori traditus, fidem Christianam deserens, Apostata vocari meruit. A Constantio adoptatus, & Cæsar factus, Gallijs præpositus, ob res præclarè gestas, tumultuariè à militibus Parisijs Imperator salutatus est. Cōstantio mortuo, aduersus quē bellum ciuile parabat, totoq; imperio adepto, Anno Christi trecentesimo sexagesimo quarto, aduersus Persas profectus, cū ingenti apparatu Constantinopolim, & hinc transmisso Bosphora, à Chalcedone Nicomediā venit. Inde Antiochiā, & Theropolim profectus, in Mesopotamiam signa mouit, atq; hinc traiecto fluuio, ponte deiecto, vt militibus via redeundi intercluderetur, ad hostes peruenit: commissa pugna, accepto, sagitta ex incerto missa, vulnere lethali, & manu cruore repleta Christum blasphemans, in aerem sanguinem proijciens, dixit; Vicisti tandem Galilea (sic enim Christum vocabat) vicisti. Vacuatus paulatim sanguine, circa noctis medium, epota aqua frigida, infelicem animā exhalauit: ætatis anno trigesimo secundo: Imperij primo, mense octauo. Sepultus in suburbio Tarsensi, in monumento sito in pomario itineris quod ad Tauri montis angustias ducit. Homo laudis cupidus: idololatriæ planè deditus: Christianus infensissimus, à quorum sanguine licet abstineret, tamen blādities eos ad impietatem reuocans, pluribus nocuit: militiæ & liberalibus studijs, ne vacare possint interdixit: magistratibus muneribusque publicis priuatos esse voluit. Iudæis, odio Christianorum, templum Hierosolymis restaurare permisit. Athanasium apertè oppugnauit, in exiliumque misit. Templa idolorum clausa reserauit, nihilque eorum prætermisit, quæ ad extirpandam Christianam religionem pertinere, homo impius & verus Apostata iudicauit.*

DN·FL·CL·IVLIANVS·P·F·AVG·

74

IOVINIANVS. Vel vt alij Iouinus, seu ob memoriam Iuliani, Iunianus ab alijs dictus, in Pānonia patre Varroniano natus, mortuo in Oriente Iuliano, ab exercitus Imperator electus, nō prius nomē Imperatoris profiteri voluit, quàm omnes se Christianos esse, conclamarēt. Actū autem id est, à Christo nato, anno trecentesimo sexagesimo sexto. Rerum necessitate compulsus, Nisibin, & magnā Mesopotamiæ partem, Sapori Persarum Regi tradidit, icto cū eo ad triginta Annos ignobili fœdere, non sinè calamitate Imperij Romani, cuius fines tum innouati fuere. Sacerdotes & Episcopos, qui sub Constantio & Gallieno pulsi fuerant, & inter eos Athanasium Magnum, ab exilio reuocauit. Cùm peruenisset ad locum, Dadastana ab incolis dictū, qui Bithynos à Galatis diuidit, atrium recentis tectorij, vt quiesceret ingressus, fumo ac nidore carbonū quos adolerit copiosè iusserat, suffocatus, repente interijt 14. Cal Martij, Anno ætatis trigesimo tertio, Imperij Mense septimo: corpus Constantinopolim, vt inter Augustorum reliquias conderetur, delatum est. Sunt qui scribant eum incidisse in morbum ex varietate ferculorum, quibus repletum corpus, quod auidissimè illic sumebat, concoquere non potuit, & cruditate perijsse. Princeps fuit vultu lætissimo, oculis cæsiis, vasta & ardua proceritate, adeò vt diù nullum indumentum regium ad mensuram eius aptum inueniretur. Aemulari malebat Cōstantium agens seria quædam aliquoties post meridiem, iocariq. palàm cum proximis adsuetus: Christianæ legis studiosus: mediocriter eruditus, beneuolus, & in suos propensus, quos etiam ad dignitatis gradus euexerat: edax & vino Veneriq. indulgens, quæ vitia Imperiali e recūdia forsitan correxisset.

DN.IOVINIANVS.P.F.AVG.

75

VALENTINIANVS. apud Cibalas Pannoniæ oppidum, Gratiano patre, ignobili stirpe oriundus, à pueritia Funarius cognominatus, eò quòd venalem circumferens funem, quinque militibus eum rapere conantibus, nequaquam cesserit; sub Iuliano Tribunum agens, quia dijs sacrificare nollet, pulsus, cùm pro Christi fide militiam reliquisset, mortuo Iouiniano ab exercitu apud Nicæam in Bithynia Imperator dici meruit. Anno Christi trecentesimo sexagesimo septimo. Bellis vndiq; insurgentibus. Valentem fratrem consortem Imperij fecit, eique Orientem regendum tradidit. Procopium apud Constantinopolim purpuram sibi vsurpare conantem, cum satellitibus, mira celeritate oppressit. Saxones Oceani accolas domuit. Parthos è Syria per legatos eiecit; Germaniam tumultuantem Theodosij maioris auspicijs pacauit: Bregitionem cùm venisset, audiens legationem. Quadorum (qui propter vendicandam Gabinij Regis sui cedem, à Marcelliano duce perpetratam, impediendamque monitionem, quam in ipsis. Quadorum terris, quasi Romano iuri vendicatis, Valentinianus extrui iusserat, vnà cum Sarmatis Danubium transgressi, excursionem fecerant) subita ira accensus, in obiurgatoria verba, cum magna vocis contentione prorumpens, in morbum incidit: quo marcescentibus venis, cùm nihil emitti posset sanguinis, voce amissa, sensu integer expirauit Anno ætatis LV. Imperij XI Vir paulò seuerior, & auaritiæ non nihil deditus; Christianæ tamen religionis fuit cultor maximus, pudicus, domi & foris castus, ad inferenda propulsandaque bella solertissimus, in deferendis publicis muneribus cautus, sermone cultus, munditiarum amans, scribens decorè, venusteque, & fingens: corpus eius lacertosum, & validum: capilli fulgor, coloris\& nitor, cum oculis cæsijs semper obliquum intuentis & toruum, atque pulchritudo statur alienamentorumq; recta compage, maiestatis Regiæ decus implebat.



DN. VALENTINIANVS. P. F. AVG. 76

VALENS. Valentiniani frater, ab eo collega Imperij & Augustus declaratus, Orientis bella gessit. Procopium temere Imperium inuadentem deuicit. Instinctu Dominicæ suæ coniugis, ab Eudoxio Arriano Episcopo baptismum suscipiens, Christianæ, Catholicæq. religioni semper inimicissimum se exhibuit: religiosus viros per Tribunos & milites fustibus cædi iussit, ac lege lata monachos militare præcepit. Ad Necromantiam conuersus, scire cupiens quisnam ei succederet in Imperio, oraculum à Demone flagitãs, quatuor litteras sibi ostensas vidit, ΘΕΟΥ. Ob quam causam, eos potissimùm occidebat, quorum nomina litteris hisce scribebantur. A Valentiniano sæpius monitus, vt à secta Arrianorum sese subtraheret, non modò non destitit, sed magis etiam in Christianorum perniciem inflammatus est. Contra Scythas & Gothos, qui omnia cædibus & incẽdijs longe lateque complebant, cùm prælium parum cautè commisisset, in Thracia, Romanis legionibus ad internecionẽ deletis, ipse sagitta saucius fugiens, & ob dolorem sæpius equo decidens, prope Hadrianopolim, in quoddam vile tugurium deportatus est: iuxta quod cùm strues palearum esset, cumulata, peruenientibus eò barbaris, & ignem inijcientibus, impietatis Hæreticæ dignas pænas luit, flammisq. absumptus est. Anno ætatis L. Imperij cum fratre 13. cùm solus tribus tantum annis regnasset.


DN·VALENS·P·F·AVG·
77

GRATIANVS. patre Valentiniano, & Seuerina matre, Sirmij natus, à patre, contrà morem antiquitus institutum, non Cæsar sed Augustus appellatus, Occidentis Imperium administrandum suscepit. Princeps planè religiosus, ab ipsa adolescentia diuino cultui pietatiq. Christianæ deditus, modestiæ, pudicitiæq. laude cumprimis clarus, in literis haud mediocriter versatus, Poeta & Orator non vulgaris, pacis amans, cibi, potus, ac libidinis victor, iaculatoriæ artis peritissimus. Apud Argentoratum supra triginta Germanorũ millia, qui fines Romanorum vastabant, longè impari militũ numero, admodum iuuenis fudit. Treueris agens, Valentinianum fratrem iuniorem, Cæsarem participemque Imperij declarauit: Catholicos Episcopos à Valente in exilium actos, reuocauit: Eunomianis, Manichæis, alijsque Hæreticis inimicissimus: Theodosium magistrum militum, ex Hispania accitum, contra Gothos in Thraciam misit, eumque post rem feliciter gestam consortem Imperij fecit, cura Orientis ei commissa: Occidentem cum Valentiniano fratre, sibi gubernandum reseruauit. Cæterùm cùm se ocio postea, quietique tradidisset, & à gerenda Rep. se alieniorem ostendẽs, paucos ex Alanis, quos ingenti auro ad se trãstulare:, veteri ac Romano militi adeò prætulisset, vt nonumquam eorum habitu, iter faciens, vteretur, maximum sibi odium apud suos conflauit, quorum magna pars, cùm ad Maximum qui apud Britanniam tyrannidem arripuerat, defecisset, ipseque Gratianus contra hunc ipsum Maximum expeditionem suscepisset, inopinata proditione territus, fugaque frustra euadere conatus, Lugduni à Maximo interfectus est, ætatis anno xxix. cùm imperasset Annos xv. cum patre viij. cum patruo iij. cum Theodosio iiij.

DN·GRATIANVS·P·F·AVG

MAGNVS MAXIMVS. Ex prosapia Constantini Magni oriundus, vir peritia rei militaris clarus, Romani exercitus Dux strenuus, ab eodem in Britannia, inuitus ac reluctans, quòd Gratianus militibus inuisum se redidißet, Imperator electus, Gallias ex improuiso adortus est: Gratiano per insidias oppresso, ingenti cum exercitu in Italiam properauit, cupiens Romam in suam potestatem redigere. Id metuens Valentinianus iunior, de obitu Gratiani fratris certior factus, cum matre Iustina, Constantinopolim profugit, & generi sui Theodosii opem auxiliumq. implorauit: qui insperatò per Alpes inuias, Aquileiam, vbi tūc Maximus felici rerum successu exultans degebat, cum exercitu veniens, Maximum à militibus captum, vinctum, sibiq. traditum, interfici iußit, virum alioquin probum, & qui haud malè imperium administratus erat, nisi periurio ac tyrannide pollutus fuißet.


DN·MAG·MAXIMVS·P·
F·AVG·
79

VALENTINIANVS iunior Valentiniani Imperatoris ex uxore Iustina filius, à Gratiano fratre, post obitum patris, consors Imperij factus, in Italiamque missus est. Gratiano dolis Maximi interfecto, sibi metuens in Illyricum primò, deinde in Orientem ad Theodosium confugit; cuius ope, Maximo sublato, non modò fratris necem vltus, sed & Imperij quietem adeptus est. Iustinæ matris instinctu, Arrianã perfidiam amplexus: viuente fratre clam, eo mortuo. palàm, clarissimum Ecclesiæ Doctorem Ambrosium persecutus est, cupiens eum à Ciuitate Mediolanen. amouere. Multa præterea in Christianos molitus est; frustra eum Theodosio monente, ne matri in defendenda Arriana impietate assentiretur, sed paternam potius pietatem, sectaretur, qui Ecclesiam Orthodoxam. semper fuisset tutatus. Ex Italia in Galliam profectus, Victorem Maximi filium, quem pater copijs ibi præfecerat, interemit: dumque Viennæ negligentius moraretur, ab Eugenio, olim quidem Grammatico, postea verò Tribuno, Arbogasti Alanorum præfecti fraude pecuniaq; corrupto, noctu in cubiculo, clàm strangulatus est: rumorque sparsus eum sibi mortem voluntariam consciuisse.

DN·VALENTINIANVS·IVN·P·
F·AVG· 80



THEODOSIVS. patre Honorio, matre Thermantia in Hispania natus, originem à Traiano principe trahens, ex Hispania à Gratiano accitus, Imperatorq; apud Sirmium creatus est, circa Annum Christi 379. Hunnos & Gothos, qui Remp. continuis armis penè oppreßerant, diuersis prælijs vicit. Maximum tyrannum, Gratiani interfectorem, apud Aquileiam extinxit. Victorem quoq; eius filium necauit. Valentiniano imperium aßeruit. Eugenium Tyrannum & Arbogastum, Valentiniani necẽ vlciscens superauit, deletis decem millibus parua militum manu, etiam ventis pro eo pugnantibus. Domitis tyrannis pacataque Rep. filios consortes Imperij fecit. Arcadiũ orienti. Honorium Occidẽti preficiens. Et quia ætas vtriusq; nondum imperio matura erat Rufinum Arcadie, Stilicones Honorio ductores Ipse Mediolani vitã quietam ducens sexagenarius, vel vt alij volunt, quinquagenarius die 17. Ianuarij deceßit. Imperij Anno 17. Corpus Constantinopolim translatum ibiq; sepultum est. Princeps Christianæ religionis obseruantißimus. Propter cædem septem ferè millium hominum Tessalonicæ, dum vnius chari militis mortem, qui in seditione ciuili ibidem perierat, vendicare vellet. perpetratã, à Diuo Ambrosio, ad itu templi prohibitus, publicam pæniten tiam cum magna humilitate egit. Vultu, moribus, & succeßu Traiano per omnia similis. Clemens misericors pudicus, in omnes honorificus, præsertim in bonos; grauitatem cum humanitate, mira quadam arte coniunxerat: in litteris mediocriter instructus, in rei militaris disciplina sagax fuit: in omnibus deniq; vitę actionibus talem se prębuit, vt nullum optimi, vereque Christiani Principis munus in se desiderari paßus vnquam fuerit.


DN.THEODOSIVS.P.F.AVG.

ARCADIVS. *Theodosij* Imperatoris *ex Flaccilla vxore, filius natu maximus, ab eodem consors* Imperij *factus, Orientiq; præfectus fuit: cumq; per ætatem eum* Imperio *gubernando sufficere non poße videret, ei Rufinum virum consularem, & testamento etiam tutorem, tradidit: qui cùm vafro & ad omne scelus audendum præditus esset ingenio, mortuo Theodosio, cùm magnam sibi potentiam comparasset, fidei quam Arcadio debebat oblitus, etiam de consequendo imperio nefariam cogitationem suscepit; quæ vt rebus turbatis deprehendi non tam facilè posset, clam muneribus missis, Alaricum Gotthorum Regem, ad inferendum Arcadio bellum sollicitauit. Verùm comperta proditione, dum defuncti Theodosij corpus, Vrbi Constantinopolitanæ inferretur, & Arcadius ei obuiam ad portam processißet, Ruffinus à militibus* Itali*s, perniciosus tutor occisus est. Caput cùm dextra præcisum, ante ipsas Constantinopolis portas suspensum; spectaculum risui ludibrioq; expositum fuit. Pari pęna Caianus* Co*mes, qui ciuili bello Arcadium adortus,* Constantinopolim *flamma ferroque vastauerat, affectus est. Arcadius autem relicto ex Eudoxia Theodosio octo annorum filio; & tribus filiabus, Flaccillæ, Martina, & Pulcheria, cùm Byzantij xiij. ferè annis regnasset, mortuus est, anno ætatis xxxi.*


DN·ARCADIVS·P·F·AVG·
82

HONORIVS. *Arcadij germanus frater natu minor, à patre Theodosio, Occidenti præfectus, Vandaloque Stiliconi, in curam traditus, infelici, post obitum patris, rerum successu vexatus est. Nam Gildo regnum Africæ adeptus, ætatem Imperatoris aspernatus, ad Imperium animum adiecit: quem tamen fratris Mascezelis ductu superatum, interfecit* Honorius: *rebellantem autem Mascezelem, auspicijs Bonifacij, itidem vicit. Stilico magnæ auctoritatis vir, opibus præpotens, militarisque disciplinæ scientissimus, tutor & socer Honorij eum imperio exuere cupiens, vt illud filio suo Eutropio pararet, Suevos, Vandalos, & Alemannos, magna spe prædæ sollicitauit, & in* Honorium *mouit: quos Vldinus & Sarus cum exercitu Hunnorum & Gothorum repulerunt, rege eorum Radagasso capto, & in carcere strangulato. Ei Alaricus suffectus, concessa sibi, amicitiæ firmandeq; pacis gratia, ab* Honorio Gallia *ad habitandum, cùm fraude Stiliconis petitus, & irritatus esset, ferè totam* Italiam *diripuit, Romamque cæpit & deuastauit, Anno Christi 403. principatus Arcadij, & Honorij anno quarto, Honorio Rauennæ degente: cui cùm denunciatum esset Romam perditam, credidit ille de pugnaci Gallo, cui nomen erat Romæ, significatum esse; admiratusque vehementer est, tam subitò perijsse eũ, qui cùm paulò antè festiuissimè luserat. Edixerat in Vrbis vastatione Alaricus, vt quicunq; in templa Diuorũ confugissent, præcipuè Petri & Pauli, his nulla vis inferretur: quod & summa fide seruatum est. Honorius accepit in consortem* Imperij *Constantiũ virum strenuum eiq; sororẽ Placidiã desponsauit: qui Gratianum in Britannia, Constantiũ cum filio Constante, in Gallia tyrannos sustulit; Barbarorumque impetus qui Galliã, Britanniã, Hispaniamque infestabant domuit: sublatus tamẽ est, immatura morte, septimo mense postquã Cæsar appellatus est. Non longo tẽpore post, Honorius quoq; cum regnasset annos xxxi. cum patre ij, cùm fratre xiij, cum fratris filio xvi, morbo aquæ intercutis decessit, nulla prole superstite relicta.*


DN.HONORIVS.P.F.AVG.
83

THEODOSIVS. iunior Arcadij & Eudoxiæ filius, penè puer à patre consors Imperij factus, eo moriente sub Isdigertis Regis Persarum tutela, qui eam summa fide quoad vixit gessit, relictus, vixdum octo annos natus, Anthemio præfecto viro prudentissimo duce Imperium administrare cœpit, Anno Christi 411. Honorio mortuo, Valentinianum consobrinum, Constantini & Placidiæ filium Cæsarem fecit; dataq; ei vxore Eudoxia filia, Romam misit, ad pacandas res, quę Tyrannorum quorundam libidine turbatę non mediocriter fuerant. Vxorem habuit Eudociam Leonis Athenien sis Philosophi filiam, quę propter egregiam formam, singularemq; pudicitiam etiam literarum non vulgari peritia excelluit. Attila Hunnorum Rege Thraciam atq; Illyricum vastante, Theodosius ad eum legatos misit, sex millia librarum auri numerans, & mille quotannis libras numeraturum se promittens, vt ab incursionibus desisteret. Tertia sācta Synodus vniuersalis Ephesina ducentorum patrum, Cęlestini Pontificis, huiusq; Theodosij iussu collecta est, in qua Nestorius duas personas in Christo asserens, condemnatus fuit. Correptus febre apud Cōstantinopolim Theodosius, mortuus est Anno imperij 48. totidemque ætatis. Princeps vitę integerrimę, in primis Christianę religioni addictus, lectioni sacrę intentus, cum Episcopis Sacerdotibusq; pijs familiariter admodum viuens, patientię clementięq; laude adeo celebris, vt capitis damnatos ne ad portas quidem adduci permiserit, sed reuocauerit; & cùm ex consiliarijs quis piam rogitaret, quare supplicium de illo minimè sumeret, qui ei parasset insidias, respondit; Vtinam, inquit, omnes mortuos vitę restituere possem: quod tamen dictum Honorio quidam tribuunt.


DN.THEODOSIVS.P.F.AVG.
84

VALENTINIANVS. Cōſtantij Cæſaris & Placidiæ Honorij & Arcadij ſororis filius, à Theodoſio Cæſar & Auguſtus appellatus, Romam miſſus, Ioannem Imperatorem factum oppreſſit: cum Genſerico Vandalorum Rege, parte Africæ, vt videri voluit, contento, pacem ſanxit: adverſus Attilam Hunnorum Regem, Imperio Orbis inhiantem, bellum ſuſcepit. In campis Catalaunicis acerrimè pugnatum eſt, vtrinque cæſis centum quadraginta quinq; millibus; victoria tamen penes Romanos ſtetit, ductore AEtio: qui in affectatæ tyrannidis ſuſpitionem adductus, Maximi viri potentiſſimi artibus, vel vt alij volunt, iuſſu Valentiniani, occiſus eſt: cuius cædem vlciſci volentes Tranſtyla & Octyla, AEtij commilitones, ipſum Imperatorem poſtmodum Romæ in Campo Martio confoderunt, Anno Imperij 31. conſilio vt ferunt, Maximi: qui ſtatim Imperium arripuerat; verùm & ipſe, à Populo Romano, tertio poſt menſe membratim cæſus eſt. Sub Valentiniano collapſum eſt penitus Occidentis Imperium; Francis Gallias, Scotis, & Anglis Britanniam occupantibus: Hunnis Europam, Vandalis Africam atq; Romam vaſtantibus. Poſt Valentinianum, Romæ multi conſtituti ſunt Imperatores, partim ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis, partim à Senatu, partim ab exercitu; quidam ſua auctoritate arripiebant Imperium, vt Maioranus, Seuerianus, Anthemius. Olybius, Blicerius, Oreſtes, qui etiam filium ſuum Cæſarem in Italia fecerat: Poſt hunc ad Iuſtinianum vſq;, Gotthi Occidentale Imperium tenuerunt.


DN·VALENTINIANVS·P·F·AVG·
85

FLAVIVS. VALERIVS. MARCIANVS, humili genere natus, prima stipendia meruit in Lycia. Pulcheriæ Theodosij sororis studio, imperio præficitur; moderatus Princeps, & rebus gerendis idoneus, si per senectam diutius viuere potuisset. Imminutum Orientis Imperium, prudentia dexteritateq; instaurare cœperat. Cum Parthis & Vandalis fœdus percussit; Attilæ minas compescuit: Arma nunquam nisi prouocatus mouit, illud sæpè vsurpans; Dum in pace esse possumus, arma non induamus. Tatianum & Iulium fratres, qui olim aquilæ superuolantis auspicio, ægrum inopemq; viati co subleuauerant, Illyrico, beneficij memor, præfecit: Anno Imperij 6. & Mense 6. moritur, conspiratione Asparis qui venenum ei ministraße dicitur. Qua de causa post creationem noui Principis, cùm filius Asparis Ardaburius, Cæsar eßet à Leone pronunciatus, populus patrem cum filio interfecit. Hoc Principe Chalcedonensis quarta Synodus celebrata, aduersus Dioscorum & Eutychen, Leonis Pontificis Romani iussu.

DN·MARTIANVS·P·F·AVG·

86



LEO. Græcanici sanguinis ex Tribuno militum, suffragijs & factione Asparis, Imperator factus, Ardaburium Asparis filium Cęsarem inuitus creauit: quo vnà cum patre à populo interfecto, in eius locum, Leonem, suum ex Ariadna & Zenone nepotem, suffecit. Aduersus Gensericum Vandalorum Regem infeliciter dimicauit: duce Basilico; qui siue ignauia, siuè proditione, nauàli prælio victus, fugam turpiter arripuit. Eo imperante Byzantium magna ex parte conflagrauit, Italia in perpetuis motibus versata est. Cum Orientale Imperiū xvi. annis administrasset, obijt. Vir multis egregijs virtutibus ornatus, præcipuè verò erga afflictos, miseratione: cùm illud semper in ore haberet, Quemadmodum sol cunctis, quę illustrat, non nihil impertit caloris, sic Principem debere eos, sua dignari misericordia, quos contuetur.

LEO. iunior ab auo puer relictus, vix anno Imperio præfuit. Nam cùm esset valetudinarius Zenoni patri, nouo pietatis exemplo, manibus suis diadema imposuit, patremque pro se deinceps imperare iussit.

D N N · L E O · A V G G

87



ZENO. *Ex Isauris Ciliciæ, obscuro genere, incognita villa ortus, à Leone filio dignitatem Imperialem aßequutus, non minus facie quàm moribus deformis, non vt Augustus, sed vt tyrannus imperauit: cuius crudelitatem fratris Cononis, humani sanguinis fundendi, sitis incredibilis, magis etiam auxit. Theodoricum Ostrogothorum Regem, cùm vnice diligeret, Consulem prius à se factum, contra Odoacrem in Italiam misit; quo ad Rauennam superato, & extincto, Theodoricus Regno Italiæ potitus, ab obuio senatu populoq; Romano exceptus, plurimumq; dilectus, gratuita liberalitate, caritatem annonæ fugauit, multa Vrbis ædificia instaurauit; & si à quorũdam Senatorum sanguine abstinuisset, optimi Principis nomẽ sibi facile comparasset. Zeno autem à Basilisco, factione vxoris pulsus, cùm in Isauriã concessißet, vitamq; priuatam instituisset, non multo post, magno ciuium, qui Basilisci tyranni dem ferre non poterant, fauore reuocatus, eundem Basiliscum expulit, inediaq; mori coegit. Ipse quoq; cum annis 17. Imperio præfuisset, miserabili morte interijt. Sunt enim qui viuũ adhuc ab vxore sepulchro inclusum, frustraq; resipiscentem, & opem queritantem obijsse, tradant. Hoc Principe incendium adeò graue fuit, vt præter maximam Vrbis Constantinopolitanę partem, centum & viginti librorum millia combusta sint, inter quæ & Homeri poema, intestino Draconis. 120. pedum, aureis litteris descriptum.*

DN·ZENO·P·P·AVG.

22

ANASTASIVS humili genere natus, Dicorus à iscoloribus oculorũ pupillis appellatus, studio Ariadnes vxoris Zenonis ad Imperium Orientis euectus. Anno Chri ti 493. eandem Ariadnẽ matrimonio sibi copulauit. Isau os apud Conteianum Phrigiæ oppidum, *superauit. Vrbes orum solo æquauit.* In Illyrico *cum Sabiniano & Mondo e ad* Margum, *cum Pompeio apud Adrianopolim, cum Aristo ad Zartam, cum* Parthis in Syria *decertauit: Contra Vitalianum ad Aquilonem bellum gessit, & cum nongen ι pondo auri ei misißet, eum quiescere coegit. Getæ, Maceoniam, Thessaliam, Epirum, diripuerunt, multosq. captios abduxerunt, pro quibus redimendis, cùm aurum misis t Anastasius, & non sufficeret hostium votis, barbari catiuos, aut in domibus suffocarunt, aut pro mœnibus in conectu multitudinis trucidarunt. Bulgarorum arma tunc rimum audita, & Sarraceni Alamandaro duce, Syriæ gra es incumbebant. Fuit Anastasius primò Christianæ relgionis studiosissimus, posteà Ariadnæ vxoris opera mutus, Eutychianæ hæresi adhæsit, frustrà eum ad saniorem entem per legatos Hormisda Pontifice Maximo reuoca e studente. ob id Diuinam meruit vltionem. Nam fulmine stus interijt, Imperij Anno 27. Aetatis. 88.*

ANASTASIVS.P.P.A.

FL. VALER. IVSTINVS. Ex Thracia parentibus ignobilibus natus, à teneris annis suum, de inde boum custos, post lignarij cuiusdam minister, decimo sexto ætatis anno, ad militarem disciplinam se contulit; in qua magna cum laude versatus, princeps Ordinis in exercitu, postea Comes, ad extremum, astutia mirabili (quippè qui accepta ab Amantio Eunucho pecunia, vt militibus pro Theocritiano Imperatore eligendo, distribueret, in se omniũ suffragia verterit) Imperator factus est, Anno post Christum natum 519. Theocritianum, Amantium, & Andream, insidias sibi molientes, è medio sustulit. Vir Orthodoxus, & pietatis veræ studiosissimus, vt hæreticorum nomen extingueret, Arrianos expulit, eorumq. Ecclesias Catholicis assignauit. Episcopos ab Anastasio in exilium, propter veram fidem missos, restituit. Germanum Capuanum præsulem, legatum ab Hormisda Pontifice Max. missum, vt Christianam & Catholicam religionem in partibus illis, Arrianorum pertinacia conuulsam, restauraret, maximo honore excepit, clementissimeq. audiuit. Eos qui cum Acatio sentiebant, expulit, odioq. iusto prosecutus est: cumq. Imperium nouem annis laudabiliter administraßet, volens senectuti suæ consulere, Iustinianum ex sorore nepotem adoptauit, & imperij consortem fecit, ipse quarto post mense, ab hac vita migrauit.



D N · IVSTINVS · P · P · AVG ·

91

C[illegible]ntibilia elegit Deus ut [illegible]tia con[illegible]dat.

IVSTINIANVS. Iustini sororis filius, ex Bediri na Illyrica Ciuitate genitus, ob ingenij animiq. magnitudinem, Magnus appellatus, à Iustino ætatis anno quadragesimo quarto, Christi autem quingentesimo vigesimoseptimo, Imperium suscepit. Orientem pacauit. Persas qui transgressis limitibus Mæsiam, Syriamq. prędati fuerant, opera Belisarij viri clarissimi, intra suos fines continuit. Romam eodem duce, à Gotthorum seruitute asseruit: Africam Imperio, pulsis Vandalis, restituit: Narsete duce, Gotthicum tādem nomen deleuit. Bis triumphatum, ex instituto veteri, Romanorum de Persis & Vandalis, à Belissario: quem Iustinianus magna lætitia excepit, Gelimerem præsertim Vandalorum Regem vinctum catenis Constantinopolim adductum, aspiciens. pacato orbe domi forisq. gloriosus, cùm esset, hic Iustinianus. leges infinitis voluminibus anteà dispersas, in quinquaginta Digestorum libros contraxit. Institutionum libros quatuor edidit, Codicem inuulgauit. Templum magnificentissimum ad mirando ædificio extruxit; quod Græca voce ΑΓΙΑΝ ΣΟΦΙΑΝ, idest sanctam Sapientiā, appellauit. Vir iustus, & integer certè maximus Princeps fuit, nisi delirij Eutychiani reus fuisset, à quo tamen opera Agapiti Pontificis Romani, liberatus fuisse perhibetur. In perscrutandis rebus ingeniosus, ad vindictam præceps: hæresum hostis maximus; in pecunia effundenda immodicus: in congerenda intemperantissimus. Morbo ex senio confectus, Iustino prius ex filia nepote, imperij consorte electo, mente parum sanus decessit, Imperij anno 39. ætatis 83.


DN.IVSTINIANVS.P.P.AVG.

IVSTINVS minor patre Illyrico, matre Augusti filia, à teneris annis, non vt nepos, sed vt filius in regia sem per habitus à Iustiniano Imperator coronatus est; Anno Christi 565. Natura facili, & ad omnia dexteriore, ductu Sophiæ coniugis ab initio principatus liberalis fuit, vndè sibi militem ciuiumque animos valdè deuinctos reddidit. Sed postea & sui & Iustiniani dissimilis factus, ad rapinas, direptiones, omnemque ferociam ingenium vertit. Fidei Christianæ, contemptor maximus, in Pelagianam hæresim dicidit. Cum Persis pacem fecit, tributo quod Romam annuatim pendebant sublato. Longobardi, Germanica gēs, à Narsete Exarcho, contra Sophiam Imperatricem (quæ tum rerum potiebatur marito mentis impote) indignato, accersita, in Italiam hoc principe irrupere, quam ab Alboeno Rege ad Desiderium, per ducētos, & quatuor annos in principatus diuisam tenuere. Iustinus grauissimo pedum dolore vexatus, cùm Tyberium qui præfectus erat Vigilum. Imperatorem declarasset, vxore Sophia superstite relicta, Imperij anno decimotertio, obijt. Eius tempore Vgri, glaciales Oceani accolæ, quærendo sedes, Pannonias ingressi, ibi commorari cæperunt, rebus bellicisità clari, vt nulli bellicosarum gentium cedant.



DN·IVSTINVS·P·P·AVG·
93

TIBERIVS. Constantinus à Iustino in imperium adscitus, Anno Christi 576. ab Euticio Patriarcha diadema suscepit. Princeps clementia, iustitia, pietate, religione, sapientia, constantia, perpetua fortitudine, omnibus virtutum ornamentis clarus; præsertim liberalitate in pauperes: quibus quicquid auaritia longa Iustinus congesserat, liberalissime erogabat, Sophia Augusta frustrà refragante, & ærarij imminutionem obijciente: quod tamen Diuina quadam prouidentia, tanto magis augebatur, quantò plura inter egenos Tyberius distribuebat. Nam dū semel per ædes suas deambularet, cerneretq. in pauimēto marmoream crucem, eam ne pedibus conculcaretur, cum aufferri iussisset, post hanc vna atq. altera inuenta, atq. sublata, tantam vim auri & argenti in eo loco diuinitus ostensam repperit, quā tam hominis beneficentia requirebat. Narsetis etiā thesauros, sene quodam monstrante, ex Italia delatos accepit, quibus ad munificentiam & liberalitatem vsus est. Magna ex Persis victoria reportata, Captiuos Constantinopolim abductos, magnificentissimè vestiuit, in patriamq. remisit. Eius felicitas multi nominis fuisset, si res vt in Oriente, ita in Occidente ei successissent. Nec enim Longobardos coercere potuit, qui triginta ducibus creatis totam Italiam administrabant. Senio confectus Tyberius, cùm se viribus desi tui animaduerteret: Imperij gubernacula genero suo Mauritio tradidit, æquitatem & iustitiam commendans, præsentibus Ioanne Patriarcha qui coronam imposuit, & Senatu: paulo post decessit Imperij anno 7. omnibus tam optimi Principis, mortem deflentibus.



DN. TIBERIVS. P. P. AVG.

94

MAVRITIVS. Ex Cappadocia oriundus, Notarius humilis, ob diligentiam, à Iustino Præfectus vigilium factus, inde Tyberij gener, post Augustus, Orientalis Imperij gubernacula suscepit, Anno Natiuitatis Christi 583. Initio principatus Persas per legatos fudit, postea exercitum in Thraciam traduxit, Scythas Mæsia repulit & Longobardos. Auspicijs Theodosij sui filij & Germani soceri, victos Hunnos, Pannonijsq. exactos, ad solitudines fugauit. & Chaganum ducem illorum afflixit. Pluribus victorijs, illustris, omnem principatus sui laudem pessimo auari tiæ crimine contaminauit, imperij capitisq. sui interitum accelerauit. Nam cum stipendia nulla militibus erogaret, ijs præsettim qui Sarmatico limiti contra Scytharum impe tum, loco sterili positi præerant, difficilia quæq. tolerantes; nec ob auaritiam captiuos à Persarum Rege redimeret, con spiratione militum in eum facta, & Phoca Imperatore desi gnato, Chalcedone cum tota sua prosapia, Constantia vxo re, Theodosio, Tyberio & Constantino, filijs, totidemq. filiabus, interemptus est: cùm imperasset annis 20 vixisset 63. Miserabilis huius mortis suæ per somnium admonitus, vbi ad rem infœlix præsagium collatum vidit, cùm in conspectu suo, vxor, tres filiæ, & filij interficerentur, pœniten tia scelerum ductus, forti animo tantam calamitatem perferens, non aliud ante mortem in ore habuisse, dicitur, quã illud Dauidis: Iustus es domine, & rectum iudicium tuũ.

DN·MAVRITIVS·P.P.A.

PHOCAS. *Præfectus Scythiæ, per Mauritij cædē, à scelerato exercitu, cui præerat, Anno post Christum natum sexcētesimo quarto, Imperator lectus publicatusq. est. Inito principatu eam sibi preclari imperatoris opinionem comparauit, vt multi cum eo pacem sancire, quàm armis decertare maluerint. Cæterum Mauritij etiam auaritiam superans, corradendæ per fas & nefas pecuniæ, adeò incubuit, vt & magistratus iudiciaq. venderet, & eos in primis charos haberet, qui populos inexplebili rapacitate vexarent. Socordia, ignauia, & frequentibus adulterijs infamis, Romanum imperium à Barbaris vastari facilè tulit. Hinc Persæ Mesopotamiam, & Syriam occupauerunt: Hierosolimā depopulati sunt; mediterranea Macedoniæ Thraciæq. loca poruagarunt: in Cappadociam & Galatiam incursiones fecerunt. In Occidente vero Germania, Hispania, Gallia, & bona pars Italiæ ab imperio Romano defecere. Aegyptum Sarraceni vastauere. In eum itaq. nihili hominem conspiratum est ab Heracleona, Heraclio, & Prisco, qui captum manibus, pedibus, & genitalibus, ob insignem libidinem truncatis, capiteq. amputato, prius interfecere, quam ferre suppetias eius milites potuerunt: eodem quoque tempore, & tota eius prosapia, radicitus extirpata est; eodemq. crudelitatis genere, vnà cum suis interijt, qua in Mauritium eiusq. familiam vsus antea fuerat: cum annos 8. imperasset, nihilq. magis memorabile in principatu egisset, quàm quòd de primatu inter Magnum Gregorium, & Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum contentione exorta, iustam sententiam pro Ecclesia Romana, sanctaq. sede Apostolica tulit. Romæq. Pantheon, exturbatis idolis, Virgini matri Diuisq. Martyribus, à Banifacio Papa Quarto, consecrari permisit.*



DN.FOCAS.P.P.AVG.

96

HERACLIVS. filius Heracleonæ, propretor Africæ, post interfectum Phocam, *suffragantibus militibus* Im*perator pronunciatus, à* Sergio Patriarcha *cum vxore Eudoxia, anno post Christum natum sexcentesimo duodecimo, coronatus est.* Persis *Africam vastantibus, legatos cũ muneribus ad eorum Regem inducias petens misit, quas nõ prius se concessuras responderunt, quàm Christum abnegasset* Imperator. *Ea re commotus Heraclius, Diuino implorato auxilio, ingentes copias aduersus Cosroem Regem* Persa*rum eduxit, cuius tres duces cum tribus exercitibus superauit.* Persideq. *igni & ferro vastata, lignum salutiferæ Crucis, quartodecimo, postquam in potestatem* Persarum *venerat, anno, victor recepit: cuius triumphi solemnis in Ecclesia agitur memoria ad* 18. Cal. *Octob.* Pace *cum Persis firmata, Tigridem fluuium, eorum Romaniq. Imperij limitem esse voluit. Eius temporibus Sarraceni Mahometo duce, caput extulerunt, occupataq. Syria, Damasco, & Arabia, execrandæ religionis virus spargere cœperunt. Creditũ est Heraclium, in senectute, ad Monothelitarum hæresim desciuisse, & aruspicijs prestigijsq. Dæmonum fidem adhibuisse. Alij hydropisi eum occubuisse ferunt, Imperij Anno* 31.



HERACLIVS IMP. 97

HERACLIVS, Heraclij Augusti ex Fabia Eudoxia filius. Constantinus nouus appellatus, à patre post natum Christum anno sexcentesimo trigesimosecundo, nutantis Imperij consors adscitus est. Verę pietatis Catholicæq; religionis cultor, cùm imperium à patre relictum, vix anno vno administrasset, dolis nouercæ Martinæ, quæ filio Heracleonæ imperium astruebat, veneno sublatus est. Arripuit Imperium Martina cum filio Heracleona, decem annos nato. Sed ambo conspiratione Senatus, biennio nondum cōpleto, capti & in exilium Cappadociam missi sunt. Mulieri linguam præcidunt, ne oratione qua plurimum valebat, populos commoueret; puero absciderunt nasum, ne decor aut gratia in vultu commiserationem faceret.



N 2

CONSTANS. Heraclij Constantini noui ex Gregoria filius, senioris Heraclij nepos, sinè militũ suffragio, ad nutũ [?]te Senatu, Imperiũ Orientale adeptus est Anno Christi sexcẽtesimo quadragesimo secũdò. Auitæ impietatis sectator, Martinũ Pontificẽ Romanũ sibi aduersantem, captũ in Chersonesum relegatum mori coegit, multosq. alios rectæ fidei homines, qui erroneis opinionibus suis assẽtiri nolebat interemit. A Sarracenis apud Rhodũ insigni strage victus aufugit, pacemq. per biennium ab illis impetrauit. Constãtino filio imperij consorte facto, Constantinopoliq. relicto, ipse aduersus Longobardos, in Italiã cũ exercitu profectus, victus ab eis Romã profugit, & quicquid antiqui operis signorũ, ex auro, ære, aut marmore in ea fuit; quod oculos delectare potuit, id omni vi auulsum inde sustulit, & ad naues ferri iussit, plusq. ornamentorũ paucissimis diebus detraxit, quã Barbari per 258. annos Vrbe spoliata in Siciliam traijciens, cũ sextũ ibi annum ageret, & auare crudeliterq. tributũ exigeret, ac molliter et libidinosè ibi versaretur, à ministris suis in balneis interfectus est, cũ regnasset annos 27

CONSTANTINVS. Cõstantis natu maior filius, vulgo Barbatus dictus in Siciliam veniens cadẽ patris vltus est: bellũ contra Sarracenos totis septem annis feliciter gessit: cõtra Bulgaros infeliciter pugnauit: Princeps fuit patri dissimilis, fide Catholicus, moribus modestus, Ecclesias per hæreticos direptas, restaurauit. Eo fauente Agathonis P. Max. auctoritate celebratũ est Sextum generale conciliũ Constantinopolitanum, pro duabus volũtatibus, in Christo contra hæresim Monothelitarũ. Constantinus morbo correptus, cũ annis 17. imperasset, obijt; tradito per manus Imperio filio Iustiniano iuniori, fratribus suis Heraclio et Tyberio dudũ occisis, ne ad Imperium quandoq. aspirarent.

DNN.CONSTANS·ET·CONSTANT
AVGG.

IVSTINIANVS minor, Constantini quarti et Anastasiæ filius adolescens 16. annorum, Anno à Christi natiuitate, sexcentesimo octuagesimo septimo, Orientalis Imperij gubernacula suscepit, ingenij varij atque à recta fide abhorrentis. Aduersus sextam sub patre celebratam Synodum, ipse aliā indixit bonis omnibus aduersantibus, præsertim Sergio Pont. Max. quem comprehendi & Constantinopolim duci mandauit. Bellum aduersus Arabas & Bulgaros, contra fœdera motum, infeliciter gessit. Ob crudelitatē omnibus inuisus, Leontij Patricij & Gallinici patriarchæ dolo, ex aula deturbatus, amputatisq. naribus Chersonam relegatus, ad Trebellium Bulgarorū Regem profugit: à quo Imperio restitutus est, Leontio & Tyberio Imperatoribus, interfectis, & Gallinico Patriarchæ luminibus priuato. Illud sæuitiæ eius argumentum, vel maximum traditur, quoties truncas nares emungeret, toties vnū ex ijs, qui Leontio fauerāt ad supplicium rapi iubebat. Cumq. flagitiosior indies fieret, à Philippo pulsus, vitam & imperium pariter amisit, sexto anno post exilium, cùm decem antea imperio præfuisset.


D N·IVSTINIANVS·P·F·AVG·
102

LEONTIVS. Vir ordinis Senatorij, patritius Constantinopolitanus, à Iustiniano aduersus Sarracenos dux exercitus constitutus, cùm in suspicionem affectati Imperij adductus esset, ab eodē in carcere biennio detentus fuit. Emissus verò & Græciæ Dux effectus, clàm, opera Gallinici, Cōstantinopolim veniens, cùm effracto carcere magnum captiuorum numerū liberasset, ab illis Imperator salutatus, Anno Christi sexcentesimo nonagesimo septimo, Iustinianum imperio deturbauit, & amputatis naribus in Chersonam relegauit. Classe aduersus Arabes, Africam inuadentes, ingenti parata, cùm infecta re rediret, à Tyberio per tumultū militarem, nouo Imperatore creato regno pulsus, truncatis naribus in carcerem coniectus est. Postea à Iustiniano (qui ope Bulgarorum Regis, iterum resumpserat imperium) è vinculis eductus, vna cùm Tyberio per forum, & Theatrū ab equis raptatus; cùm pressis ceruicibus in terra eum Iustinianus calcasset, in Gynegeppio, spectante populo misere interfectus est, cùm triennio rerum potitus esset.


DN·LEONTIVS·PERPET·A·
103

TYBERIVS. alio nomine dictus ABSIMARVS. ab exercitu in Africa tumultuante, Anno post Christi natiuitatem septingentesimo, Imperator electus Constantinopolim cũ delectissimis militibus veniens, Leontium in potestatem redactũ, truncatis naribus, in vincula coniecit, eosq. qui ab illius partibus stabant, fortunis omnibus exutos, in exilium misit: Fratrem Heraclium, equestrium & pedestriũ copiarum, Ducem constituit, eumq. aduersus Agarenos in Orientis loca mandauit. Cùm Iustinianus imperiũ recuperasset, & Constantinopolim redijsset, Tyberium ab omnibus derelictum, vnà cùm Leontio captum, per vicos in spectaculum educi iussit. Vtrumq. in throno sublimi residens, humi coram se prostratum, pedibus calcauit, illud proclamans, super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Posteà ante se obtruncatũ, omnibus inspectantibus, crudeliter in frusta concidi mandauit: cùm 7. annis imperio Orientali Tyberius præfuisset.




TIB . P . P . AVG .
104

PHILIPPICVS. cognomento BARDANIVS, Nicephori patri cij filius, cùm Tyberium ad Imperatoriam dignitate prouexißet, ab eodem Chersonam relegatus est, eo q; in somnis aquilam caput suum contexiße dixerat, vt eum ab omni spe Imperij potiundi repelleret: Chersonensibus charus, contra Iustinianũ bellum mouentem, dux ab illis electus, profligatis Iustiniani copijs, Cõstantinopolim cũ classe ingreßus, Iustinianum cum filio interemit. Potitum imperio circa annũ Christi 713. Patriarcham Gyrum Vrbe expulit: sanctorum imagines, homo Hæreticus, ex omnibus ædificijs eiecit: sextæ Synodi decreta, altera Synodo nefariè indicta, infirmare contendit; gratificaturus monacho cuidã, qui de principatu obtinendo, illi præsagium fecerat, hoc prædictionis præmiũ petenti. Loquax nimium, in rebus gerendis imprudens, opes imperij iam pridem congestas, nullo fructu dissipabat Bulgaros. Thraciam depopulari passus est. Tandem Artemij dolis, cùm balneum publicum pridie Pentecostes ingressus eßet, à quodam Ruffino arreptus, oculis priuatus, & in carcerem coniectus est, vbi fame, siti, multisq. incommodis affectus, miserè interijt, anno vno & mensibus sex Imperij nondum expletis.


DN·PHILIPPICVS·P·P·AVG·
105

ANASTASIVS II. *cognomēto ARTHEMIVS cùm* Philippum *in or dinem redegiſſet, Orientale Imperium adeptus,* Anno *poſt* Chriſtum *natum* 715. *vir fuit quàm ſermone affabilis, tam in operibus iuſtus, inter optimos* Catholicæq. *relligionis amantes* Imperatores *numerandus: Orthodoxæ fidei propugnator acerrimus, ſextæ* Synodi *decretis per omnia aſſenſus eſt: deiectas imagines, dirutaſque Hęreticorum furore Eccleſias, reſtaurauit: Claſſem ingentem aduerſus Sarracenos, Chriſtiani nominis hoſtes, cùm in Africam emiſiſſet, Claſſiarijs quibuſdam contumacius agentibus, milites qui illum oderant, re infecta domū reuerſi, Theodoſium ignobilem alioqui virum,* Imperio *præficiunt. Quo audito Anaſtaſius feſtinanter mare, Nicæam verſus traiecit, ſeq. ad reſiſtendum parabat; ſed à Theodoſio inſequente captus, ab eodem in monaſterium, ne qua via pateret redeūdi ad imperium, incluſus eſt; cum annum vnum, menſes tres imperaſſet.* Cæterum, *cū, auxilio Bulgarorum, denuo recipere contenderet Imperiū, à Leone* III. *interemptus eſt. princeps imperio, vitaq. longiore dignus.*


DN·ANASTASIVS·P·P·AVG·
106

THEODOSIVS. eius nominis III. *ADRAMYTTENVS dictus, Constantinopoli parentibus obscuris oriũdus, à militibus Anastasio infensis, anno Christi* 717. *Imperator electus est. Ea fuit morum comitate, sermonisq. affabilitate, vt omnibus meritò charus esset. Catholicæ fidei obseruantissimus, sanctorum imagines, à Philippico eiectas, templis restituit, in omnibusq. cæteris actibus, optimi principis laude non caruit, futurus etiam longè illustrior, si diutius illi per Leonem, & Cononem Orientis præfectos imperare licuisset. Verùm cùm Leonem exercitus Imperatorem dixisset, pertesus belli ciuilis Theodosius, vt erat miti, placidoq. ingenio, cessit imperio, monasticumq. vitæ institutum amplexus, satis diu ac felix in eo vixit, cùm annos duos tantum imperasset.*



O

LEO. III. *Isaurus adeò humili genere ortus, vt sedentariam exercere necesse habuerit, militiæ addictus, à Iustiniano contra Alanos & Asmagos missus, postea Dux Orientis creatus, abdicante Theodosio, imperium adeptus est, Anno Christi 718. Vir omni scelerum genere, impietateque in Deum, & sacras eius imagines, cōtaminatissimus, vndè etiā cognomen traxit,* εἰκονομάχου *&* θεομάχου. *Edicto pæna capitis proposito, imagines Christi, Dei paræ, & sanctorum prolatas, quotquot habere poterat, per summum scelus comburi iussit. Germanum Patriarcham Constantinopolitanum impietati suæ contradicētem sede exturbauit. Gregorio quoque Pont. Max. insidias struxit: qui eum non solum anathemate percussit, sed etiam tributa ei pendi solita adimens, Francis exolui mandauit. Hac de causa Exarchos vnum Romam, alterum Rauennam misit. Vterque a tumultuante populo interemptus est. Tertio eius imperij anno Saraceni Constantinopolim triennali obsidione, terra marique fatigarunt. Bithynia, Thraciaque graui terræ motu concussa fuit. Muri Byzantini, magna ex parte collapsi. His alijsque multis calamitatibus, impij principis animus ad detestationem erroris, flecti non potuit; sed magis ac magis in immanitate sæuitiaque persistens, relicto Constantino filio, quem dudum Regni consortem fecerat, Anno imperij 24. dyssenteriæ fluxu excruciatus, miserè animam efflauit.*


+LEON·BASILEVS·RO
108

CONSTANTINVS. *cognomento* COPRONYMVS. *quòd infans dum baptizaretur aquam sacram, ventris solutione maculauerit, filius Leonis imperatoris, impio patri, magis etiam impia proles, in imperio successit, Anno Christi 742. Patris impietatem in euersis sanctorum simulachris longè superans, etiam eorum reliquias contemnere & comburere minimè dubitauit: maleficijs magicisque vanitatibus ad insaniam vsque deditus, eò deuenit, vt nullius religionis homo fuiße creditus sit, non Christianus, nō Græcus, non Hebræus, sed totius impietatis infelix mancipium. Nobilißimos quosque è medio tollendos curauit. Constantinopolitanos patriarchas, ignominiosè tractatos grauiterque excruciatos, capite plecti mandauit. Artabasdum virum* Catholicum, *imperatorem ab Orthodoxis creatum, oculis liberisque priuauit.* In *huius monstri verius quàm principis tempora, incidit ea quoque calamitas quam Italia ab Astulpho Longobardorum Rege pertulit. Byzantij grassata est pestis. Terræ motus ingens*, Palestinam, Syriamque *afflixit. Græcorum Exarobatus desiit in Italia; Romani* Pontificis *esse capit, cuius fidei* Pipinus *hæc loca permiserat, &* Carolus Magnus *eius filius, eidem donauerat. Constantinus autem post infinita flagitia, vltione diuina cùm in morbum incidisset, tam acerbos in eo cruciatus doloresque pertulit, vt se viuentem inextinguibili igne accendi discruciarique sæpius proclamaret, eoque consumptus, interijt, Anno Imperij. 35.*


DN.CONSTANTINVS.P.P.
109

LEO. IIII. *Constantini Copronymi ex Cazara filius, patri Anno à Christi natiuitate 776. succesit, cuius impietatis imitator, initio religionem simulauit, Monachos in honore habens, dignitates illi quasdam conferens, sed si vixiset diutius, ad naturam profectò rediisset, à vera pietate abhorrētem: quod quidem insigni sacrilegio initio principatus commisso abundè declarauit. Nam coronam à Mauritio principe Deo dicatam, è templo sustulit, captus gemmarum & auri splendore, eamque nefario suo capiti imposuit. Sed tam atrox facinus breui etiam diuina vltio consecuta est. Eius enim impium caput. carbunculi apostemate statim intumuit: tandem ardentissima febri subsecuta, impium spiritum, cùm vix annum regnaßet, exhalauit, imperium vxori suæ Irenæ relinquens, vt illud pro filio suo Constantino, decem annorum puero, administraret.*


DN·LEO·ET·CONSTATINVS·P·P.
AVGVSTVS

CONSTANTINVS. Leonis Quarti filius, imperij administrationem Anno salutis 781. sortitus, cùm per ętatem non posset, IRENAE mater Augusta regendi curam suscepit, fæmina Attici sanguinis, forma eleganti, sed probitatis vereque pietatis laude insignior: imagines templis restituit, Orthodoxam religionem modis omnibus propagare studuit: vnde & septimum vniuersale Concilium Nicęum, contra Iconamachos, pro retinendis imaginibus, & Græcos pro S Spiritus à filio processione celebratū est. Constantinus pubertatis annos egreßus, matrem administratione deiecit, atrociter administrare Imperium cępit: qua quidem re primatos offensi, Nicephorum ei præponere cogitabant: quo cognito Nicephorum hunc patrum suum, lingua oculisque priuatum, in vincula coniecit. Mater verò filij impietatem exosa, simulque dominandi libidine mota, Duces quosdam datis muneribus, eo pertraxit, vt filium ex insidijs captum oculis effossis, eodem die quo ille ante quinquennium Nicephorum excæcauerat, in carcerem conijcerent, in quo mærore luctuque confectus, paucis post diebus, cùm 17. annis Imperio cum matre præfuißet, expirauit. Mater in pristinum statum à ciuibus restituta, annis tribus imperauit; cùm Carolo Magno amicitiam & fœdus inijt, deque imperij finibus egit, connubium etiam ei deferens. Quare comparatis insidijs à Nicephoro regno expulsa, in Lesbumque insulam relegata, reliquum vitæ tempus transegit.

DN·CONSTANTIN·AVG·ET·
HERENAE·M · iii.ii2

CAROLVS. Pipini Regis Francorum & Berthæ, filiæ Heraclij Constantinopolitani Cæsaris, filius, ob res præclarè gestas meritò MAGNVS vocatus, mortuo patre in eius locum suffectus, Aquitanicum bellum gessit, postea ab Adriano Pont. in Italiam euocatus, Longobardorũ Regnum, Desiderio Rege capto, Francico nomini subegit: Saxones triennali bello vicit. Sarracenos Hispaniam vastantes domuit. Sclauos, Danos, Bauaros, Bohemos, tumultuantes compescuit. Iterum Italiam ingressus, Aragisum duc., Longobardorum reliquias fouentem, ad officiũ coegit. Hunnicum bellum octauo post anno felicissimè confecit. Leonis III. Pont. vlturus iniuriam Vrbem Romam ingressus, ipso Natiuitatis Domini die, ab eodem in templo coronatus ab vniuerso populo imperator & Augustus appellatus est, Anno regni sui 33. salutis autem nostræ 801. Compositis Italiæ rebus, Imperioq; cum Irena, & postea cum Nicephoro partito, vt ille Orienti, Carolus autem Occidenti præesset in Gallias rediit: filioque Ludouico imperij consorte declarato, Aquisgrani, pleuritide correptus, obiit, 5. Cal. Feb. Anno Christi 814. ætatis 71. Imperij 14. Regni 46. Princeps insigni pietate, beneficentia, humanitate, literarũ Græcarum, Latinarumque peritia. Templa & Monasteria plurima fundauit, ac muneribus magnis locupletauit. Liberalis, misericors, & in egenos munificus. Iniurias illatas ciuili animo tulit, in hostes rarò acerbius sæuijt. In rebus bellicis non minus virtute, quàm felicitate celeberrimus, in reliquis vitæ actionibus pietatis, Diuinique timoris ita obseruans, vt non immeritò, tanquam sancti vereque pij principis, ab omnibus eius memoria, in hanc vsque diem, celebretur.


CAROLVS·MAGNVS·IMP·AVG·
113

LVDOVICVS. Caroli Magni ex Hildegarde filius, propter Christianæ religionis studium, morumq; man suetudinem, cognomento PIVS *dictus, post obitum patris à proceribus Aquisgrani Imperator salutatus est. Anno* Christi 815. *Dacicum bellum ex animi sententia confecit: Bernardum ex Pipino nepotem, Italiam sibi subiugare conantem, supplicio affecit. Episcopos qui eum premouebant, vita donatos, cancellis inclusit. Britannos tumultuantes, armis ad officium reuocauit. A tribus filijs, quod in longiorem ætatem vita eius protraheretur, quodque Iudith am mulierem procacem, matrimonio sibi copulasset, captus, in Monasteriũ Diui Medardi Suessione detrusus est. Sed optimo quoque in eius auxilium concurrente, inuitis filijs, ex eodem eductus, pristinæque dignitati restitutus fuit. Non multo post, tradito Aquitaniæ Regno* Carolo, Imperio *autem Lothario filijs, magno piorum omnium luctu, Moguntiæ decessit Anno* Christi 840. *Imperij* 27. *Aetatis* 64. *Sepultus Metis In monumento Hildegardis suæ matris.*

HLVDOVICVS·IMP·AVG·

LOTHARIVS. Ludouici Pij ex Hermingarda maximus natus filius, dum adhuc pater in viuis ageret, Italiã, Galliam Narbonensem, imperiumque assecutus est, fratribus Carolo Gallia omnis, Ludouico Germania cessit. Mortuo patre, patrati in eum sceleris pœnas Deus à filijs exegit: qui diffidentibus inter se animis, paternam imperij diuisionem, æquo animo non ferentes, ad arma rem deduxerunt. Lotharius & Ludouicus, cùm aduersus Carolũ, tamquàm nobilioris paternę possessionis, hæredem, signa mouissent, ab eo ad Ertanicum Altisiodorensis agri vicum superati sunt; Gallica nobilitas valdè attrita; imperij vires planè conciderunt. Bellum nihilominus cùm reparassent, iterum fusi pacem petere coacti, eam ijs conditionibus obtinuerunt, vt Carolus Franciæ, Ludouicus Germaniæ, vsque ad Rhenum, cum nonnullis ciuitatibus etiam trans Rhenum, Rex diceretur; Lotharius verò Italiæ regnum, quod possidebat, Galliam, Belgicam, Prouinciam, & eam partem quæ Lotharingia ab eo dicta est, acciperet. Pace vtcunq; stabilita, tribus filijs regna partitus, Lotharius, tædia rerum aduersarum, vt opinantur nonnulli, affectus, Monasticam vitam in Monasterio Prumia secutus, post quam 15. annos imperasset, mortuus est. De cuius anima inter Angelos, dæmonesque tanta scribitur fuisse altercatio, vt cunctis assistentibus corpus distrahi videretur. Sed orantibus monachis, victi tandem dæmones fugati sunt.

LOTHARIVS · IMP ·


LODOVICVS II. *Lotharij Imperatoris ex Hermingarde primo genitus filius, à patre consors Imperij adscitus est, Anno Christi* 843. *Eius fratribus Lothario, Austrasia, & Lotharingia, Carolo Prouinciæ Regnum diuisione patris obtigit. Lodouicus princeps humanitatis. iustitiæ, in Deumque pietatis laude celebris, à Sergio Pont. Romæ coronationis insignia suscepit. Pupillorum et Orphanorum tutor singularis. In literis tàm diuinis, quàm humanis benè versatus. Contra Saracenos, ex Africa venientes, Beneuentum vicinasque regiones flamma, ferroque depopulantes, Lothario fratre in auxilium aduocato, feliciter pugnauit. Lucaniam, Samnium, & Capuam recuperauit. Cum Carolo Caluo Francorum Rege discordibus animis ferè semper vixit, propter Austrasiæ regnum, quod Lotharij fratris fuerat, & Caluus id sibi totum vendicarat. Compositis vndique rebus, cùm annum vnum & viginti præfuisset imperio, Mediolani mortuus est.*



P

CAROLVS II. *Caluus*, Ludouici *Pij Imperatoris, ex Iuditha filius, Ludouici II. patruus, postea quam Regno Occidentalis Franciæ triginta sex annis præfuisset, & cum Britonibus, Normannisque sæpius dimicasset, audita* Ludouici *Imperatoris morte magnis itineribus Romam veniens, à* Ioanne 8. *Pontifice Imperator coronatus inunctusque est,* Anno *Christi* 876. *Expeditione in Sarracenos suscepta, nefarios eorum conatus facilè repressit, indè in Galliam reuersus, Bosonem, vxoris suæ* Richildis *fratrem.* Regem *Prouinciæ proclamauit.* Repetens *verò Italiam, Regna quæ* Lothario *minori obtigerant, armorum potentia exercitusque multitudine fretus,* Imperio *Francico adiungere frustrà conatus est.* Nam *Ludouici Germani filij ei sese tam strenuè opposuerunt, vt prælio ad Veronam inito, eum in fugam verterint: vndè curis animiq; dolore confectus, non sine veneni dati suspicione, à* Sedechia *Iudæo medico, quem familiarius deligebat, Mantuæ diem extremum clausit, imperij anno secundo vixdum completo. Corpus exenteratum cùm sui in Franciam defferre cuperent: putredinem eius ferre vlterius non valentes, Vercellis in D. Eusebij Martyris æde deposuerunt, quod septimo post anno ad D. Dionysij templum translatum est.*

CAROLVS + CALVVS + 118
119



CAROLVS. III. *à corporis obesi habitudine CRASSVS, appellatus, Ludouici Germanici Regis filius, princeps insigni religione pietateque præditus, Deo cui actiones suas omnes deuouerat, felices successus largiente, ea Francorum Regna quæ maiores sui non sine magna sanguinis effusione obtinuerant, absque grauiore aliquo conflictu in suam potestatem redegit.* Italiam *à Sarracenorum incursionibus liberauit, ob idque à* Ioanne 8. *Pontifice corona* Imperiali *meruit insigniri, circa Annum* Christi. 877. *Normannos Galliam vastantes, data Gothofrido* Regi *in matrimonium Gisla Lotharij filia, locoque ad habitandum, qui* Normannia *postea vocatus est, eum non solum ad pacis fœdera, sed etiã ad religionem* Christianam *suscipiendam attraxit. Verum felici successu elatus, zelotypiaque pudicissimæ coniugis, quam in monasterium detruserat, nimium agitatus, adeo se inuisum omnibus reddidit, vt tamquam inutilis cui summa rerum committeretur iudicatus, Arnulpho ei successore dato, Imperio depositus sit.* In *summa posteà egestate priuatam vitam ducens, ab omnibus derelictus Arnulphi subsidio, ne fame periret, sustentatus, obijt, sine honore in Augeo maiori Monasterio prope* Constantiam, *humili monumento sepultus, Anno salutis* 888. *Imperij Decimo.*




CAROLVS · III · CRASSꝰ ·

P 130

ARNVLPHVS. naturalis filius Carolomãni Regis Bauariæ, nepos Ludouici Senioris Regis Germaniæ, Oriẽtalis Franciæ strenuus Dux, ab optimatibus, qui Carolum Crassum loco mouerant, Imperator electus est, Anno Christi Octingentesimo octuagesimo octauo; Aduersus Nortmãnos res egregias primò gessit, mox in rapinas temporumq; spolia conuersus, prior illum felicitas deseruit. Ac cùm Italiam tumultuantem pacare contenderet, pharmaco quodam dementatus, ac morbo pediculari confectus, Ratisbonam delatus, Anno salutis 899. Imperij sui 12. mortuus est, deficiente in eo Imperij maiestate, quæ per annos centum tanta indole à Carolo Magno quæsita, ad Germanos posteà translata est.

ARNOLFVS·REX· 123

P



LVDOVICVS IIII. *Arnulphi Imperatoris, ex Deyta secunda coniuge filius, iuuenis admodum, ab optimatibus Franciæ Orientalis, in oppido Forchaim, Imperator electus regijsque ornamentis insignitus est, Anno Christi noningentesimo primo. Fuit princeps optimis moribus, virtuteque bellica non vulgari præditus: in expeditionibus tamen suscipiendis parum fortunatus. Hungari eius ætatem contemnentes, Bauarorum fines inuaserunt, Ecclesias vastarunt, homines passim iugularunt: quibus cum Ludouicus resistere vellet, exercitu coacto, ad Augustinum Vindelicorum, commisso cum eis prælio, victus superatusque est. Hungari victoria elati, multoque crudeliores effecti, cùm omnia cædibus rapinisque complessent, Longobardiam, Italiamque penetrarunt, quare territi Itali, Cæsaris ignauiam incusantes, Berengarium Imperatorem salutarunt, qui etiã victus, pacem ab eis magno redemit. Ludouicus contra Berengarium in Italiam profectus, eum in fugam vertit; at cũ Veronæ securus ageret, prodita ciuitate, per Berengarium vtroque lumine priuatus, in Germaniam reuersus, mœrore casus sui, nullo hærede relicto, mortuus, Ratisbonæ in Cœnobio Diui Emeriani, cũ patre sepultus est. Anno Imperij* 1[illegible].



LVDOVICVS·IIII·

CONRADVS. Conradi Franconiæ Comitis filius, vir in rei militaris scientia cum laude versatus, Augustus designatus est Anno Christi 913. Quamuis enim Francorum, Saxonum, Germanorumque studia, in Othonem Saxoniæ Ducem, propenderent; tamen cùm ob ingrauescentem ætatem, onus Imperij suscipere detractaret Otho, eum sibi potissimum deligendum putauerunt, qui & ab ipso Othone vehementer commendaretur, & opibus, corporis animique dotibus plurimis ornatus esset. Tertio principatus eius anno, Hungari Germaniam ingressi, Bauariam, Sueuiã, aliasq; prouincias vastarũt: quos Henricus vnà cum Othone, acerrimis prælijs profligauit: cumq; multa alia in Imperio præclarè feliciterq; gessisset, vbi supremũ vitæ suę diem adesse vidit, Gemanis proceribus conuocatis, eos ad piè viuendũ cohortans, autor illis fuit, vt Henricum Othonis Saxoniæ Ducis (cuius beneficio ad Imperium peruenerat) filium Augustum crearent: & corona, Sceptro, alijsq; Regalibus ornamentis depositis, Imperij Anno septimo, vitam cum morte commutauit; Sepultus in Monasterio Fuldensi, iuxta altare S. Crucis.

CONRADVS · IMP · 123

HENRICVS. Othonis Saxoniæ Ducis filius, ob venationis & aucupij studium, quo multum oblectabatur, *AVCEPS* cognominatus, à primoribus Germaniæ, cum omni Francorum exercitu, Fristilarij congregatis, cùm esset à Conrado moriente insignibus Imperialibus donatus, magno omnium consensu Augustus appellatus est, Anno salutis 910. Arnaldum Bauariæ Ducem, imperium ad se rapere conantem, prudentia, modestiaque sua, ita deliniuit, vt à cæpto desisteret. Burchardum Alemaniæ Ducem rebellem, in deditionem recepit. Hungaros Saxoniam inuadentes, memorabili prælio fudit, ac fugauit. Sclauos & Dalmatas debellauit, ingentemque ex illis prædam reportauit. Bohemiam ingressus, Pragensem ciuitatem duce eorum capto in deditionem accepit, legibusque Imperij subdidit. Lotharingiæ terram Germaniæ Regno restituit. In omni denique Imperatorio munere ita se gessit, vt & amabilem & formidabilem se praberet. Aduersa valetudine correptus, Othonem filium suum, quòd optimum veræque pietatis amantem iudicaret, conuocato populo, successorem in imperio designauit. Paralysi demum tactus, è viuis excessit, anno ætatis suę 60. Imperij 17. Reparatæ salutis 937. 6. Non. Iulij.

HENRICVS·I·AVCEPS· 124

OTHO. Henrici aucupis filius, communibus Germanorum Principum suffragijs electus, Aquisgrani ab Episcopo Maguntino coronam Imperialem accepit, Anno Christi nongentesimo trigesimo septimo. Cæterũ Eberhardus Palatinus & Giselbertus Lotharingiæ princeps, qui ex posteritate Caroli & Francorum erant, pertracto ad se fratre Othonis maiore natu, de imperij summa cum Othone toto ferè sexennio, magnis prælijs dimicarunt. In vltimo tandem conflictu, apud Andernacum, Eberhardus occubuit, Giselbertus in Rheno submersus est. Henricus frater supplex ad Othonẽ veniens, non modò delicti veniam, ab eo impetrauit, sed & Ducatu Bauarico auctus est. Lutolfum filium, secundas nuptias patris cum filia Regis Burgundionũ improbantẽ, Moguntiæ primum, deinde Ratisbonæ obsedit Otho; prouolutũ ad pedes, & peccatum suum detestantem, in gratiam recepit. Hungaros ad Augustam Vrbẽ, ad Licum fluuiũ fudit, eorumq; robur debilitauit: ob quam victoriam ab exercitu MAGNVS, pater patriæ, Augustusq; appellatus, triumphans in Saxoniam rediјt. Ab Italis contra Berengarium eiusque filium bis vocatus, vltimo prælio captos, alterũ Bãbergam, alterum Byzantium relegauit. Romam profectus à Ioanne 12. coronatus est. Quem tertiò Italiã repetens, cùm grauissimorum criminum reus ageretur, sæpè tamen vt resipisceret antea admonitum, Synodi auctoritate, ex officio deturbauit, Leone in eius locum suffecto, qui cùm à necessarijs Ioannis, post discessum Imperatoris, vrbe eiectus esset, Otho ex Vmbria Romam aduolat, Romanisq; Coss. cum præfecto in Germaniam relegatis, Leonem sedi suæ restituit. Sarracenis ex Apulia & Calabria fugatis, in Germaniam reuersus, filio prius Othone imperij consorte electo, decessit; Magdeburgique in Saxonia, in Ecclesia à se magnificè extructa sepultus est, Anno Christi 983. cùm triginta & amplius annos imperium administrasset, vir pacis belliq, artibus insignis, pietatisq; Christianæ cultor præcipuus.

OTHO·MAGNVS·IMP·SEMP·AVG

OTHO. Othonis Magni & Adelheidis Reginæ Burgũdiæ filius, admodum puer, à patre Imperij succeßor Aquisgrani declaratus eſt. Mortuo patre, Henricum Bauariæ Ducem imperium affectantem facile compeſcuit. In Lotharingia motus excitatos, ingenti exercitu coacto ſedauit, eique Carolum Lotharij Regis Francorum fratrem, beneficiariũ Imperij faciẽs præfecit: qua re offenſus Lotharius, collectis maximis copijs, inopinato Cæſarem apud Aquiſgranũ ita adortus eſt, vt vix fuga ſibi conſuluerit: cuius infamiæ notam abſtergere cupiens Otho, Galliam ingreßus, eamq; Pariſios vſque depopulatus, Lotharium ad pacem poſcendam coegit. In reditu tamen ad Axonæ fluuij tranſitum, non paruo incommodo à Francis affectus eſt, magno militum numero, partim fluminis impetu, partim armorum vi ſublato. In Italiam profectus cum Græcis, ac Sarracenis, qui Calabriã Apuliamque diripiebant, ad Baſantellum infeliciter congreſſus, ab eis ſuperatus, fugiens conſcenſa ſcapha, à pyratis captus eſt: Verum cũ ob Græcæ linguæ cognitionem, ignotus eſſet nautis, numerata pecunia facile ab hoſtibus ſe redemiti. Alij agnitum, beneficio Siculorum ingenti auro ex manibus pyratarum redemptum, Romamque honorificentißime deductum ferunt. Collectis exercitus reliquijs, dum vlciſci hoſtes cogitat, & nimis incautè Græcos ac Sarracenos perſequitur, ſagitta venenata vulneratus, Romamque delatus, paucis diebus poſt moritur Ann. Imperij xvij. relictis liberis Othone III. & Hugone Saxoniæ Duce ac tribus filiabus.




OTHO·II·IMP· 127

Q

OTHO III. Saxoniæ Dux, *dictus Ruffus, Othonis II. ex Theophania Regina filius,* Italis *ad se imperium trahere contendentibus, à proceribus Germaniæ, mortuo patre Imperator Aquisgrani creatus, ab Episcopo Rauẽnate inũctus coronatusq; est, Anno Christi* 984. *Cõsulem Crescentium, qui imperio inhiabat,* Romam *cũ exercitu magno veniens in ordinem redegit, de eoq; suppliciũ capitis sumpsit. Gregorium V. eius opera ad* Pontificatus Romani *dignitatem cuectum, & a* Romanis *eiectum,* Ioanne *pseudo Pontifice vita priuato, sedi restituit. Ab* Italica *expeditione reuertens, cum magno & splendido comitatu pacatus in* Polo*niam ad sepulchrum noui Martyris Adalberti Gnesnã Anno Domini* 1001. *venit, siuè exoluendi voti, quod graui morbo implicatus vouerat, gratia, siuè expiãdi sceleris caussa, quo Comitem quendam insontem, calumnia libidinosæ vxoris suæ incitatus, pro adultero indicta caussa interfici iußerat. Acceptus est à Boleslao* Poloniæ *Duce, habitusque vnà cum suis omnibus, plusquam regali magnificentia & liberalitate, volensque tam splendido hospiti & amico principi parem gratiam referre Otho, Boleslaum Regem appellauit, ac diadema, Gaudentio Archiepiscopo solemnes cæremonias, peragente, illi imposuit, eumque honorem sempiternum, in Polonia regnaturis principibus eße iussit. His peractis Romam rursus ad sedendos nouos motus contendit; ijsque compositis, cum Gregorio Pontifice propinquo suo nouam creandi Romani Imperatoris formulam, quæ à septem principibus electoribus dependet, hodieq; in vsu est, condidit. Cumq; ea re varios tumultus erga se concitasset, & tutum se esse non poße videret, in Germaniam reuertẽs, in itinere, misso per insidijs veneno, à Crescentij vxore necatus, atq; Augustæ sepultus est. Anno Imperij XIX.*

OTHO·DEI·GRATIA·REX·

129



HENRICVS II. *Dux Bauariæ, Comes Bambergensis dictus* CLAVDVS. *primus ab electionibus, ex ordinatione Gregorij Papæ V. Imperator electus, Anno* 1004 *Moguntiæ à Villigiso Archiepiscopo consecratus, deinde post expulsos Italia Sarracenos à Benedicto VIII. Romæ coronatus est. Bohemos bello fatigatos, tributarios sibi fecit: Metas & Gandauum obsedit. Lotharingiam & Flandriam domuit. Hungaros, tradita Stephano eorum Regi in matrimonium sorore, ad amplectendam fidem Christianã pertraxit. Multos episcopatus, qui Barbarorum crebris incursionibus vastati fuerant, amplius redditibus auxit. Bambergensem Ecclesiam fundauit, & amplius possessionibus, ornatissimaque suppellectili ditauit. Princeps, præter rei militaris scientiam, ea fuit vitæ sanctitate, & innocentia, vt eã Deus etiam miraculis comprobarit. Cum vxore Sãcta Chunegũde celibem perpetuò vitam duxit, eamque parentibus, cognatis, & affinibus conuocatis castam, & intactam, morti proximus, reddidit, illisque commendauit. Ipse cùm imperium summa cum integritatis & prudentiæ laude annis XXII. administraßet, magno de se apud omnes desiderio relicto, in Domino obdormiuit, & Bambergæ in Monasterio S. Petri à se extructo sepultus est.*


REX · HENRICVS ·
128

CONRADVS II. *Hermanni Ducis Francorũ & Lotharingæ Adelheidis filius, SALIQVVS cognominatus, post duorum Annorum interregnum, quibus electores inter se diffidebant, legitimis suffragijs tandem* Imperator *creatus Anno* 1025. *dissensiones in imperij initio ortas summa prudentia sedauit.* Italiam *ingressus, vt principes qui in libertatem se asserere volebant, sibi subiectos redderet, Mediolanum obsedit, suburbia incendit, excidiumq; & interitum Vrbi minatus est. Mutata deinde sententia, obsidionem soluit, Coloniensi Antistite id ei suadente, quòd diceret beatum Ambrosium sibi inter Missarum solemnia apparuisse, exitiumque omnibus minitantem, nisi ab vrbe fra discederent.* Romam *itaque Conradus proficiscens, accepta à* Ioanne *Pontifice* Imperij *corona, in Sclauos, &* Vngaros, *exercitum duxit, qui rebellantibus* Italis *auxilia præstiterant, eosque breui perdomuit. Rudolphum Burgundiæ Ducem, suorum seditionibus vexatum, tranquillitati restituit.* Leopoldum *Germaniæ Comitem, pacis & ocij turbatorem acerrimè persecutus est. Leges multas & perutiles tulit, hanc præcipue, vt ciuis principi capitale esset, pacem & quietem prouinciarum turbare. Quæ de bello Polonis per eũ illato, quos tributarios imperio reddiderit, à plerisque scribuntur, ea tamquam fabulosa, veritas ipsa annalesque* Polonici *refutant, cùm neque Boleslaus temere sibi diadema regium vsurparit, sed ab Othone Tertio, vltra oblatum acceperit, neque alium filium præter Miecislaum Boleslaus habuerit, vt quæ de Miscone scribuntur, locum non habeant: neque* Poloni *vmquam* Imperatori *Romano tributarij fuerint. Cùm in Germaniam rediret, circa Traiectum, subita morte sublatus est, corpore Spiram delato, & in templo à se constructo honorificè sepulto.* Imperij *Anno xiiij. Relicto filio Henrico superstite & successore, ac vxore Gisela, quæ anno* 1111. *post eius obitum mortua, Spiræ itidem sepulta est.*



CONRADVS + II + SALIQVVS +

129

HENRICVS III. *Conradi Imperatoris & Gesilæ filius, paulò antè patris mortem ab eodem de principum electorum sententia, Cæsar siuè Romanorum Rex designatus, imperij administrationem circa annum Christi millesimũ quadragesimum suscipiens, in Bohemos rebelles copias duxit, duceque eorum Vratislao capto, eos sibi subiectos reddidit.* Petrum *Regem ab* Hungaris *eiectum, restituit, & regnum hoc varijs motibus agitatum sedauit.* Romam *contendens abdicatis adulterinis* Pontificibus *aliquot, Bãbergensem Præsulem Suidigerum* Pontificię *sedi præfecit qui Clemens ij. dictus fuit, & vt caueret in posterum Summorum Pontificum securitati, iure iurando Romanos adegit, neminem creationi eorũ interfuturum sine eius permissu. Apud Capuam Sarracenos vicit, Moguntinæ Synodo Leone Papa præsente, interfuit.* Cunonem *Bauariæ Ducem,* Hungarorũ *conspiratione fretum, regnique possessionem ad se transferre conantem, vicit, suoque Ducatu priuauit. Cazimirum, qui diaconus & monachus, professionis & sacramenti religione à* Pontifice *solutus, ad* Regni *Poloniæ gubernacula capessenda vocatus, è Cluniaco venerat, se amicum ac beneuolum præbuit, eoque ad* Regnum *deducendo præsidium addidit, diademata quę* Rixa *è* Polonia *sublata, Conrado patri ipsius donarat, reddidit, Bohemumque ducem ab inferendo* Polonis *bello cohibuit. Cùm decem octo annis imperium tenuisset,* Henrico *filio annos quinque nato Cæsare electo, & Aquisgrani coronato, ęgritudine correptus decessit, Anno ętatis* XXXIX. Salutis. 1056. III. Non. Octob. *sepultusque Spirę.*



HENRICVS · III · IMP ·

HENRICVS IIII. *Henrici* III. *Imperatoris & Agnetis filius, quinquennis viuentis patre, Cæsar creatus; imperij administrationem post obitum patris suscipiens, omnia arbitrio matris fœminæ prudentissimæ, permisit: qua, vbi adoleuisset, maleuorum instinctu, ab imperij regimine amota, libertate adolescentiæ vsus, licentiosius omnia agere cœpit, vndè multorum sibi odia conciliauit. Saxoniæ ob rebellionem grauissima bella intulit. A Gregorio eius nominis septimo* Pontifice, *ne se rebus ecclesiasticis immisceret admonitus, cum ei obedire nollet, anathemate notatus est, principesque ac subditi ab eius obedientia absoluti fuere, qui etiam Rudolphum Sueuiæ Ducem, sub annũ* Christi, *millesimum septuagesimum, ab Henrico deficientes, suadente Pontifice* Imperatorem *elegere, quod magnũ in imperio peperit dissidium. Nam exercitus vndique conscripti pugnæ multæ vndiq; commissæ sunt. Nouissimè verò pugnatum apud Martisburgum, in quo conflictu* Rudulphus, *amissa dextra perijt. Victoria elatus* Henricus *Romam contendit, eaque per vim capta, Pontificem à sede sua deturbauit, qui non multo post, in exilio mortuus est, in eiusq; locum Rauennatem Episcopum Clementem suffecit, à quo etiam coronatus est. Varijs deinde iactatus procellis, iusto Dei iudicio, à filio imperio priuatus, Leodium profugit, ibique in magnis angustijs positus è vita excessit, cum annos* 50. *imperasset. Princeps nisi se* Pontificum *infectione infamem reddidisset, alioquin clarus, facundus, liberalis, acer ingenio, bellicosus, et re bellica fortunatus, M. Marcello, & C. Iulio haud inferior, vtpote qui sexagies & bis acie collata pugnauerit.*



HENRICVS · IIII

HENRICVS V. *Henrici Quarti ex Bertha Marchionissa filius, vir bellicosissimus & audax, patrem suum, fœde cum principibus inito, bello insectatus, eoque mortuo, imperio potitus est, Anno millesimo centesimo sexto. Romam profectus, vt coronam imperialem acciperet, maximos erga se tumultus concitatos vidit, & parum oberat quin periret nisi sua ipsius manu vitam defendisset. Dolo magis quàm virtute instructus, Pascalem Pontificem, in potestatem redactum, eo pertraxit, vt omnes (licet inuitus) in Episcopos confirmaret, quos antè Henricus delegerat; ab eodemque imperiali diademate coronatus ex vrbe decessit. Pascalis autẽ concilio apud Lateranum habito, omnia quæ Henrico concesserat, tamquàm vi à se extorta, reuocauit, imperatoremq; excommunicauit. Qua quidem re vehementer offensus Henricus, Italiam repetens, Pontificem fugauit, aliumq; in eius locum suffecit. Vnde multæ dissensiones, schismata, incendia & tumultus, in Germania sunt excitati. Tertio quoque Italiam inuadens, Gelasium Pontificem vrbe expulit, qui etiã Cluniaci in Gallia diem clausit extremum: in cuius facinoris vindictam, Germanorum & Saxonum rebellionem expertus est, vt etiam manus cum eis conserere habuerit necesse. Bellorum tandem pertesus, ad pacis studia se contulit: vnde subsecuta est pax illa & concordia sub Calisto ij. in qua Episcoporum & Abbatum electiones, quas Imperatores & Reges hactenus sibi vindicauerant, clero & monachis restituta sunt. Henricus cum xv. annis imperio præfuisset, in Traiecto inferiore, morbo correptus obijt, Spiræq. in maiorem sepulchrum illatus est.*



HENRICVS.V.IMP.PERP.AVG.

132

CXXXIII.

LOTHARIVS Saxoniæ Dux, Gebhardo Comite in Schuepplemburg & Heduige Burgrauia Nurimbergēsi natus, post Henrici Imperatoris obitum, ab electoribus Cæsar, & quidem satis reluctans, creatus est, Anno 1127. *Vir industrius & prudens, religiosus, hostibus terribilis, iustitiæ & æquitatis amantissimus. Initio* Imperij *Fredericum & Conradum Duces, ex sorore Henrici* Imperatoris *nepotes, qui iure ad se imperium pertinere contendebant, compescuit, & per Diuum Bernardum pacis conditionibus constitutis, in gratiam recepit. Innocentium Papam* 2. *quē Petrus pseudo Pontifex sede expulerat, in Italiam cū exercitu duxit, suæque sedi restituit, & ab eo imperij diademate insignitus est.* In *Germaniam ad comprimendos quosdā in Bohemia motus, cùm rediisset, & eiectum iterum Innocentium* Roma *accepisset secundo in* Italiam *cum valido exercitu profectus, eum, pulso ex Italia Rogerio Normanno, & pseudopontifice, ita in Pontificali ditione confirmauit, vt nihil indè mouere Pontificis aduersarij sint ausi: sed breue imperium annorum vndecim effecit, ne res felicibus auspicijs cæpta coalescere admodum potuerit. Rediens ex* Italia *per Tridentinam vallem, Veronæ morbo correptus occubuit. Corpus in Saxoniam delatum in Monasterio de suo nomine dicto, sepultum est.*



LOTHARIVS · III 133

CONRADVS III. *filius Ducis Sueuiæ & Agnetis filiæ Henrici* IIII. *ab Henrico V. Princeps Francorum factus, mortuo Lothario, legitimè* Cæsar *Anno* 1139. *electus contra* Henricum Bauariæ *& Saxoniæ Ducem, qui cùm gener Lotharij esset, imperialiaque ornamenta apud se haberet imperium affectabat, bellum gessit. Rebus Normannorũ in Syria, Sarracenorum, Turcarumque vi inclinatis, Edessaque nobili & vetusta Vrbe Mesopotamiæ, quæ, tũc à Gallis tenebatur, expugnata, & magno terrore Christianis in Asia militantibus iniecto, cum* Ludouico Gallorum *Rege, & compluribus principibus viris, à B. Bernardo Abbate* Claræ *vallis incitatus, expeditionem in Syriam suscepit: et* per Poloniam, *quòd ea via compendiosior esset, minusque periculorum haberet, iter faciens à Boleslao Crispo Polonorum Rege perquam honorificè & liberaliter acceptus, & vsque ad Pontum Euxinum cum exercitu deductus est, multis voluntarijs, è* Polonis *militia illi nomina dantibus, & cum Cæsare profectis. Sed dolo Emanuelis* Imperatoris Cõ*stantinopolitani, qui commeatui à Græcis importato gypsũ & calcem immiserat, exercitus maxima parte deleta, cùm non multum operæ pretij fecisset, in Germaniam reuersus, bellum* Polonis, *vt Vladislaum exulem in principatum restitueret, intulit: quod tamen Boleslai Regis ei cum exercitu occurrentis, & necessarium fratris exilium luculenta oratione demonstrantis, industria sublatum fuit. Nec ita multò post Conradus in Lorchensi oppido apud Gemam mortuus est, antequam* Imperatoris *diadema adeptus esset, cùm annis xv. rebus præfuisset.*



CONRADVS · III · 134

FRIDERICVS cognomento BARBAROSSA, Friderici Ducis Sueuorum fratris Conradi regis, & Iudithæ filius princeps manu ingenioq. strenuus, validus cõsilio, periculorũ contemptor, liberalitate, affabilitate, corporisq. decore venerabilis Conrado defuncto, ab vniuersis Germaniæ principibus Rex Francofordię electus est Anno Christi 1153 Bauariã & Austriã in concordiam redegit. Italiã ingreßus Dorthonam, portas sibi claudentem, per vim cepit. Romã veniens ab Adriano Pontifice, cũ ei stratoris officium exhibuisset, corona Imperialis insignia accepit. Reuersus in Germaniã, precibus Vladislai exulis, se ad principatũ restituiorãtis, inductus, in Poloniã expeditionẽ suscepit: in qua cũ maiorẽ quã initio credebat difficultatem vidisset, opera Boemorũ principis, ad amicabilem compositionem res deuenit, ijs conditionibus vt Vladislaus exul ad Silesiæ tantum dominatũ admitteretur. Boleslaus verò eius frater, Polonię Rex, trecentos hastatos equites Imperatori mitteret in auxiliũ Mediolanensis belli; quo vrbem illam, sæpius rebellantem, sub iugum redactam, paulo post funditus euertit. In Germaniam abiens, iterum Italiã maximis copijs inuasit, Alexandrum Pontificem ex vrbe fugere compulit. Cùm Mediolanensibus iterum rebellantibus prælio congreßus, multos ex suis amisit, ipse fuga elapsus Papiam venit. Cũ Alexãder III. Venetias profugisset, & Otho Imperatoris filius nauali prælio victus captus esset, pacis conditiones Venetorum opera sancitæ sunt, & inter Imperatorem ac Pontificem tandem pace constituta, imperator expeditionẽ Hierosolymitanam aggreßus, in Cilicia multas Vrbes, Sarracenos, & Turcas prostrauit. A cũ in Armenia ob æstum mitigandum sudorisq. abluendi causa, amnem quendam ingreßus esset, alueo absorptus, strenuißimus heros perijt Imperij anno XXXVII. Salutis. 1190.